

Johann Lembke

Specimen Inavgvrale Medicvm De Anagallidis Viribvs, Inprimis Contra Hydrophobiam

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCLXXX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002288428>


Druck Freier  Zugang



RU med. 1790

Lemke, Johannes

Lembke, Johann



SPECIMEN INAUGURALE MEDICVM
DE
ANAGALLIDIS

VIRIBVS, INPRIMIS CONTRA HYDROPHOBIAM,

QVOD

INDVLTV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
ROSTOCHIENSIS

AD CAPESSENDOS HONORES DOCTORALES

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO

SVBMITTIT

IOANNES LEMKE,

SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI

CHIRVRGVS MILITIAE PRIMARIVS.



ROSTOCHII, MDCCLXXX.

L I T T E R I S A D L E R I A N I S .

1790.

SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM

DE

ANAGALLIDIS

VIRIVS, IMPRIMIS CONTRA HYDROPHOBIAM

PRO

INDVTV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
ROSTOCHENSIS

AD CAPESSENDOS HONORES DOCTORALES


ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO

SVBMITTIT

IOHANNES LEMKE


GENEHSISMI DVVIS MEDICVS OLTANI

CHIEVGVVS MILITIAE PRIMARIVS



ROSTOCHII, MDCCXXX.

L I T T E R I S A D L E R I A N I S



§. I.

Quemadmodum quotidiana experientia docet, permittas res, omnibus cognitas et perspectas, sensim oblivione deleri, quidam nonnullas artes, quas scientia comprehendit antiquitas, adeo deperditas esse, ut vix memoria earum superfit, utque denuo illas inveniri et excogitari necesse fuerit: sic quoque in scientia medica, et praecipue in eius illa parte, quae medicamentorum virtutes et vires exponit, majores nostri multas experientias et observationes, quas illos longa vita, ususque remediorum docuit, memoriae tradiderunt; quae quidem postero dehinc tempore, usque adeo neglectae iacuerunt, ut vix illis relationibus et expositionibus satis fidei haberetur. Si verum fateri volumus, nec praepudicio laboramus, haec neglectio et oblivio antiquarum enarrationum, non plane vitio verti potest nuperioribus. Reperiuntur enim in numero observationum, a veteribus nobiscum communicatarum non paucae, quae totae ex fictis commentitiisque verbis constant, ut nemo adduci queat, ad fidem tantis figmentis habendam.

Quod vero apud illos sub nomine experientiarum venit, non raro tam incredibile est, ut veritatem misere mendacio contaminatam esse, quisquis prudentior facile concedat. Nec minus a veritate desleclunt, ubi virtutes medicaminum exponunt, et mutationes ab illis productas, tumultus excitatos aut sedatos, cura-



tiones peractas pluribus verbis commemorant. Tunc enim haec omnia ita augent et amplificant, ut non solum a vero, sed etiam a verosimili abhorreant, nec quisquam sagax ac bene prudens lector amplius in dubio ponere possit, utrum cautum et solertem legat observatorem, an mendacem et gloriosum ostentatorem. Quamvis videlicet paginam, si de usu rerum naturalium ad arcendos et debellandos morbos sermo est, fere semper assertis et historiis replent, in iis tamen plena errorum sunt omnia, ut fidem illis denegare cogamur. Nam mox vires attribuunt his corporibus, quae virtuti, quam re vera possident, prorsus sunt contrariae; mox medicinam huic vel illi morbo opponunt, quae sine ullo dubio illo longe imbecillior est, et nihilominus hoc segne et iners remedium veluti praestantissimum ore laudant pleniore. Nunc antidota, panaceas, theriacas et pancresta sua omnibus morbofis corporis humani affectionibus, omnibusque vitiis, quibus chirurgia medelam parat, accommodata esse, mira impudentia asserunt, sicque inanes sunt glorias; nunc iterum, sive celeritatem in agendo, sive vim in mutando, sive facilitatem in applicando respicias, mere incredibilia et omnino impossibilia de virtutibus pharmacorum praedicant. Denique non raro anili adhuc superstitioni obligati sunt, quae ita animos oppressit, eorumque imbecillitatem occupavit, ut puerilibus fabulis libros referant, quae intolerandae sunt auribus, et ultra omnem fidem. Iam quid mirum, quum res ita se habeat, recentiores veterum observationes de remediorum efficacia, eorumque vi hunc vel illum morbum profligandi, non facile credidisse, ideoque pro nihilo habuisse; in primis, quando annotata et proposita insuetum, singulare, et prope incredibile quid tradiderunt. Verum enim vero si vel quisque aequus rerum arbiter hanc excusationem accipiat, tamen nequaquam inficias sere possumus, hac neglectione et contemtionem multa utilia, et scitu admodum digna, humanique generis saluti proficua adeo oblivione obruta esse, ut nemo medicorum illis tribuerit attentionem, et ut per saecula e nullius fuerint usu, usque dum tandem novus abditarum rerum perscrutator eandem experientiam reiteraverit, aut novo observatori idem intueri contigerit, quod iam pridem proavi nostri in scriptis suis reliquerant. In animum incurrit exemplum, quod, quum novissimum sit, et haecenus exposita dilucide probet, non plane sicco pede praeterire possum. A vidua quadam, cui

nomen

nomen *NOUFFERT*, Gallorum regem, liberalitate et beneficentia impulsam, magno pretio remedium contra vermes intestinales, et praecipue contra taeniam coemisse, quis est, qui nesciat? quum hoc medicamentum, antea arcanum et nulli cognitum, iussu benigni, quem nominavimus, regis, publici iuris factum sit. Tunc vero, quum cuius datum esset hoc remedium tentare, quod olim a vidua sola vendebatur, quae compositionem eius sedulo celare studebat, mox-mox innotuit, plurima medicamina, quae hoc pharmacum ingrediuntur, iam a celeberrimo naturalium rerum investigatore *PLINIO* in eundem scopum laudata et commendata esse, quid? ipsas etiam methodos adhibendi hoc remedium ita convenire, ut lubenter credas, e *PLINIO* depromptum, et quod nonnisi oblivione tectum erat, denuo a vidua *NOUFFERT* luci expositum esse.

§. 2.

Simile exemplum praebet exigua ac vulgaris, nihilominus autem praestantissima et valde efficax planta, quam *ANAGALLIDEM* vocant, de qua nunc uberius mihi dicendum erit, quum eius virtutes salutiferas, in primis vero eius specificam vim contra morsum canis rabidi, et horrendum illud malum, quod morsum illum subsequi solet, nimirum hydrophobiam, in hoc specimine inaugurali paullo accuratius contemplari, expendere, novisque exemplis corroborare mecum constituerim, sperans, non ingratum lectoribus, nec inutile generi humano fore hoc libelli istiusmodi argumentum. Haec Anagallidis herba veteribus quoque notissima erat, et usus ejus admodum familiaris, quam ob causam vim ejus ad sanandos plures corporis humani morbos multis laudibus efferunt. Quamvis autem hoc remedium apud veteres tanta auctoritate valeret, et specifica ejus virtus praecipuis attentionem mereri videretur, adeo tamen penitus deinde contempta est haec planta, ut per longum tempus vix ejus mentionem fecerint auctores, ut pene omnes vires denegaverint, et ut remediis infrequentibus et obsoletis adnumeraretur.

§. 3.

Nomen, quo nostra planta gaudet, iam apud *HIPPOCRATEM* reperiri dicitur, et certe e graeca lingua desumptum est. *DIOSCORIDES libro II, de materia*



medica, capite 209. multas illi adscribit virtutes, iterumque libro II. de facile parabilibus medicamentis Cap. 115. inter remedia, quae contra viperarum morsus in cibo potuque fumuntur, anagallidem nominat. PLINIVS in *historiae mundi* libro XXV. et XXVI. variis locis nostram plantam contra diversi generis mala commendat. Ab illo inde tempore non pauci auctores inter medicamina quoque anagallidem retulerunt, et mox ad hanc, mox ad illam morborum speciem delatandam, varia forma et dosi, et in variis praeparatis adhibuerunt. Quo propius vero ad nostra tempora accedimus, eo rarius Anagallidis herbam adhibitam et laudatam esse, et eo magis laudem eius imminui videmus, ut quoque non pauci in nonnullam adducti sint dubitationem, utrum re vera gaudeat haec pusilla planta viribus insignibus ad mutandam corporis morbosam constitutionem, an forsitan omnia, quae de illa praedicata sint, credulitati debeant originem. Denuo vero virtus haec praeclara contra hydrophobiam, qua instruxit divina providentia et clementia hanc inodoram et fere inspidam plantam, quae ubivis terrarum colligi potest, ante triginta circiter annos *) innotuit; et quum per diuturnum tempus nemo medicorum hoc parvum et vulgare remedium in tam gravi, periculoso et infelici morbo exhibere ausus sit, denuo non parvam nacta est famam et gloriam, qua usque ad hunc diem gaudet. Resuscitarunt pristinam laudem in primis CL. BRUCH et RAVENSTEIN, hic in *Sammlung seltener Begebenheiten in der Natur* 1755, et ille in *Diss. inaugurali Argentor.* 1758. defensa; et ab eo inde tempore plures medici multa de illa sperarunt, magnaque, si fides habenda, observarunt, ut non solum in dicto tetro et horribili morbo, sed quoque in multis aliis in primis diuturnis morbosis affectionibus eam prolixè commendaverint, et saepissime in magnum aegrorum solatium et emolumentum adhibuerint. Ne vero hoc cum illo permisceamus, remque ordine persequamur, diligenter primum et exquisite de virtute huius plantae, arcendi hydrophobiam et mortem a miseris hominibus, quos rabidus canis cruento morsu violavit, agere, et exempla talium curationum non minus, quam testimonia virorum doctorum solerter enarrare tentabimus,

*) Primum, quod scio, a. 1747. in actis diurnis, quae Moguntiae prodierunt, laus anagallidis coepit efflorescere. Sequentibus annis virtutis eius specificae famam in Episcopatum Bambergensem; tum Bipontum ac Monasterium perlatam lego.

tabimus, quippe quod hanc anagallidis virtutem praecipue divulgare, et experientia infallibili extra omnem dubitationis locum ponere maxime exoptamus. Dein autem leviter et perquam breviter caeteras quoque virtutes, quas possidere hoc remedium diversi annotarunt scriptores, et quae de variis effectibus eius in corpore aegrotorum scripta reliquerunt, commemorare et colligere nostrum erit, ne huic specimini grave quid et utile deesse videatur.

§. 4.

Licet veteres anagallidem in diversis morbis laude profecuti sint, tamen huius praeclaræ virtutis, ob quam illi foli palmam tribuimus, nullibi faciunt mentionem. Dicit quidem DIOSCORIDES de *Mat. medica Lib. II. cap. 209*, eius succum ex vino potum morsis a vipera prodesse, et *Lib. II. de facile parab. cap. 115*. succo adscribit virtutem contra viperarum morsus, sed de eius vi enervandi virus rabioforum animalium omnino hic, aliique auctores graeci et latini silent. Arduum igitur foret negotium, eruendi, qua occasione et quo auctore primum hoc remedium morsis a cane rabido propinatum sit, et quomodo hanc famam sibi comparaverit, quum in universum plerumque primæ origines oblivione premantur, et quum saepissime fortuna plurimum conferat, ut detegantur rerum naturalium vires, quamobrem quoque facile damus, hanc egregiam et raram anagallidis vim non studio quaesitam, sed casu detectam esse, nisi cum Perill. MURRAY *apparatus medicam, Vol. II. p. 4*. credas: ab uno morsus genere in alterum morsus genus translata esse, et experientiam de viperis venenatis institutam ad excogitationem virium contra hydrophobiam ansam praebuisse. Attamen GLEDITSCH in *Alphabetisches Verzeichniß der gewöhnlichen Arzeney-Gewächse, Berlin 1769. p. 19*. commemorat, nuperioribus temporibus antiquam relationem iterum detectam et repertam esse, secundum quam anagallis morsum canis rabidi sanare dicatur.

§. 5.

Plures dein huius miræ virtutis meminerunt, ac in non paucis libris hanc plantam contra hydrophobiam nunc breviter et paucis verbis, nunc autem copiose

com-



commendatam esse, legimus. Praecipua et adnotatione dignissima hac de virtute testimonia si in doctorum virorum libris evolvimus, et in hac pagina verbis eorum exponimus, non ingratum fore lectoribus, spem concipimus paene exploratam. — PETRUS ANDREAS MATTHIOLI praescribit in *Kräuterbuch, durch Joh. Camerarium &c. Frckf. a. m. 1586. p. 203.* ut homo aut pecus, a cane rabido demorssi, celeriter succum aut aquam huius plantae bibant, et vulnus iisdem remediis lavent, ne in morbum incidant periculosissimum. — PETRUS NYLANDUS in *neues medizinalisches Kräuterbuch &c. Osnabrück 1678. p. 110.* non minus anagallidem contra morsum canis rabidi commendat. Sumatur, inquit, succi illius drachma una, misceatur cum vino, ac bibatur, interim autem contusa herba vulneri imponatur. Paulo uberius de virtute ista disserit OSZWALT GAEBELKHOVER in *Arzneybuch 4. Th.* nam plures formulas nobiscum communicat, quibus grave et dirum malum superari queat, omnesque has fere ingreditur anagallis. Nunc enim suadet hanc herbam cum Verbenae herba in pulverem redactam cum aqua anagallidis et verbenae sumere, insuper quoque vulnus decocto anagallidis lavare et purgare, nunc aquas destillatas harum plantarum per se sumtas laudat, iterumque decoctum theiforme herbae anagallidis commendat; tandem quoque iubet nostram herbam cum lagano coniungere, sicque devorare, quippe quae propinandi methodus haud ingrata, licet infrequens, inprimis illi arridere videtur. — SCHROEDERVS in *Pharmacopoea Medico chymica etc. Edit. Romelii Ulmae 1685. Lib. IV. p. 124.* hanc eius virtutem non obliviscitur, ac anagallidem morsui canis rabidi subvenire, et a nonnullis valde laudari annotavit. Ac SCHROEDERVS in *vollständige und nutzreiche Apothecke, oder Arzneyhschatz nebst Hoffmanns Anmerkungen darüber Frkf. und Leipzig 1718. pag. 861.* decoctum eius tum externe ad vulnus, tum interne adhibitum, ad morsum canis rabidi egregie convenire, commemorat. — SAMVELIS MULLERI testimonium quoque adducere debemus, qui in *Vademecum botanicum sive beyträgliches Kräuterbüchlein* anagallidem coctam et siccitam, aut ad elotionem vulnerum adhibitam, contra morsum canis rabidi vehementer commendari adnotavit. Non minus iisdem fere verbis mentio virium huius plantae fit in *curienser Botanicus oder sonderbares Kräuterbuch p. 69.* ibi enim quoque pro
potu

potu decoctum anagallidis, et pro elotione vulneris a cane rabido inflictū idem decoctum infervire asseritur. Sic quoque in libro, cui titulus: *Hortulus sanitatis d. i. Ein heylsam und nützliches Gärtlein der Gesundheit etc. von CASTORE DURANTE in Italienischer Sprache verfertiget, nunmehr übersezet durch PETRUM UFFENBACHIVM Frkf a. M. 1609. p. 51.* succus aut aqua desillata anagallidis, hausta et externe imposita, morsum canis rabidi sanare dicuntur. — HIERONYMVS TRAGVS genant BOCK, in *Krüuterbuch durch MELCH. SEBIZIVM, Strasburg 1630. p. 308.* venatoribus admodum utilem esse hanc herbam dicit, quippe quod tum hominibus, tum canibus rabido cane morsus egregie conducatur, si succus aut aqua anagallidis statim sumatur, quando inflictum fuerit vulnus. A BOECKLERO in *Cynosura materiae medicae continuata Edit. 2. Argentorat. 1747.* nostram plantam adversus morsus animalium rabidorum commendari annotatur. GMELIN *Otia botanica Tubing 1740. p. 184.* tamquam specificum rabiei caninae laudatam fuisse anagallidem ex multo tempore in utraque cognita specie dicit. GOHL *Compendium oder kurze Anleitung zur praxi clinica Berlin 1755. p. 673* specifica contra hydrophobiam remedia enumerans non omittit anagallidem. HELWIG *Thesaurus pharmaceuticus, oder Apotheker-Schatz, Leipzig 1711.* ad morsus canum rabidorum anagallidem facere inquit. TABERNAEMONTANVS in *Krüuterbuch, Basl. 1731. p. 1093* quoque anagallidi virtutem contra hydrophobiam adseribit. MAROLDI testimonium praeclarum sane et grave vocandum, qui memoriae prodidit, virtutem anagallidis ad sanandos canes morsos, omnino iam rabidos, a WILHELMO IV. PRINCIPIE HENNEBERGENSI saepius probatam repertam fuisse. HOFFMANN *Med. offic. p. 125.* non omisit virtutem hactenus expositam nostri medicamenti, ac IOACH. CAMERARIUS *iun. in Hort. med. et phil. p. 14.* itemque praeclarissimus auctor LEMERY de eius viribus antihydrophobicis nequaquam silent. Iam etiam nonnulli medici remediis contra hydrophobiam pulverem anagallidis aut eius succum et decoctum non adnumerant, nec omnem in illa collocant spem, tamen ceu adiuvantia medicamenta adhibere solent praeparata ex anagallide, ut BAVHINO teste agytha quidam praeter alia remedia externa adhibuit interne Theriacam et Mithridatum cum aqua Anagallidis; et in *officina sanitatis, sive praxi chymiatrica plane au-*

B

rea,



red, antehac a HARTMANNO conscripta etc. locupletata a CARDIVCIO Noriber-
gae 1677. p. 90. auctor iubet, contra hydrophobiam mixturam simplicem ad-
ministrari in aqua anagallidis.

§. 6.

Quamvis igitur haec anagallidis vis enervandi virus rabiosorum animalium
cum in hominibus, tum in animalibus non careat multis, ut vidimus, strenuis
laudatoribus et praedicatoribus; tamen fortassis nemo recentiorum medicorum,
qui solum haec legisset, et nulla alia attentione magis digna testimonia reperis-
set, hanc pusillam plantam in tanto periculo adhiberet, in illaque remedium ad
gravissimum et horrendum sane morbum quaereret. Quum enim speramus,
omnes nostri aevi medicos haud quaquam pro nihilo habere vitam sanitatemque
civium, ideoque omni studio et solertia eligere remedia, quae morbis opponant,
ideoque non nisi optima, longo usu et experientia probata, ac praesentia medi-
camenta praescribere; in opinionem nostram venire non potest, fore ut talis pru-
dens et solers medicus, in morbo non minus desperato ac pernicioso, quam tri-
stissimo ac miserabili, talem medicinam infelicibus, quos momordit furiosa
bestia, porrigat, aegrotosque suos id circa periculo mortis et hydrophobiae, atro-
cissimi morbi, committat. Tantum vero adest, ut in superiori §pho omni stu-
dio collecta et exposita testimonia sufficiant ad virtutem anagallidis contra hydro-
phobiam extra omnem dubitationis aleam ponendam, ut potius magna adhuc su-
perint dubia. Nam omnes fere auctores solummodo huius virtutis mentio-
nem faciunt, nullus autem eorum proprias experientias adducit, et experimenta
instituta exponit, nemo est, qui curationibus, ope huius plantae a se peractis,
glorietur, nemo tandem, qui hydrophobiam sanatam per anagallidem fuisse
proprio testimonio corroborare audeat: ut facile ad credendum induci queas,
anili narrationi, errori, mendacio aut fraudi satem nostram plantam famam fu-
am acceptam referre, ac semper auctorem unum solummodo communicasse et
exscripsisse, quae in alio invenerat, neminem autem de praeclara illa vi certissi-
mum fuisse. Accedit adhuc, singularem prorsus ac desideratissimam anagallidis
virtutem multo brevius attingere auctores, quam pro atrociam morbi expectave-
ris,

et neminem docere, quomodo, qua dosi, quo tempore, qua ratione, et quam diu debeat propinari,

§. 7.

Quae cum ita sint, egregie fecit *Cl. RAVENSTEIN*, qui in *lib. cit. p. 419.* primus anagallidem ulteriori discrimini subiecit, accuratiusque de virtute eius contra morsum canis rabidi differuit. Nunc non amplius experimenta desideramus, quum non solum propria innitatur experientia, sed quoque aliorum medicorum tentaminibus, quibus egregia illa virtus antihydrophobica non semel apparuit. Mentionem is facit viginti circiter hominum, a cane vere rabido vel commorforum, vel spumante saliva conspurcatorum, quibus vero a secundo inde die exhibito pulvere succurrerit. Accedit his praeconiis, et virtutem huius herbae ornat maioribus etiam laudibus *Cl. BRUCH*, qui totam de ea confecit dissertationem, in qua omnia sua tentamina communicat, multas curationes feliciter peractas describit, simul autem collectas varias aliunde historias novas exponit. Huic igitur praecipuas gratias agere debemus, quum tam fuse, tam probe, tam simpliciter et candide, tam ingenue et aperte, quae ipse observavit, aliisque videre contigit, enarret, ut eius scriptum omnem mereatur assensum, et nullus amplius dubitationi remaneat locus. Ac si nihilominus in dubium revocaremus has narrationes, atque observationibus, quibus egregia salutifera vis anagallidis in hoc morbo abunde comprobata est, fidem denegaremus; nuperior adhuc praesto est testis, qui omnia, quae narravit *Cl. BRUCH*, veritati perfecte consentanea esse, et curationes sic re vera contigisse, quemadmodum noster illas in dissert. siilo uberiori explicavit, firmissimo ac sanctissimo suo testimonio communire non dubitavit. Hic locupletissimus testis est vir, cuius doctrinam non minus, quam ingenuitatem admiramus, nimirum *Perill. KAEMPFIIUS*, qui in libro, *für Aerzte und Kranken bestimmte Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, besonders die Hypochondrie &c. zu heilen. Zweote Auflage Leipz. 1786.* quo immortalitatem consecutus est, *Cl. BRUCHIO* adstipulatur, easdem historias repetit, et patrem suum illum fuisse, qui ab ovium custode virtutem anagallidis contra mor-



sum canis rabidi didicisset, et complures sibi communicatas experientias collegisset, aperte tradit, ideoque verba *Cl. BRVCH* ita corroborat, ut, qui adhuc observationes illas in dubium adducat, vix existimare possim, quemquam futurum esse. Haec experimenta vero non solum omnem merentur attentionem, sed omnino summam nobis iniicere valent admirationem, quum vix credendum sit, tam pusillam plantam, omnis fere odoris expertem, et nullas praecipuas vires sapore monstrantem, tam exigua dosi, tanto resistere malo, et tam certo hydrophobiam praecavere posse.

Scripto meo praecipuam dignitatem et amoenitatem me comparaturum esse spero, si quae observavit et vidit *Cl. KAEMPFIVS PATER*, et quae litteris mandavit *Cl. BRVCH*, breviter exponam.

In vico Pirmasensi ditionis Hanoviensis iam ante septuaginta, et quod excurrit, annos vir exstitit ovium pastor, qui ipse per longum tempus demorsis pulverem herbae optimo successu exhibuit, celansque, qualis esset, vendendo illum undique in vicinia lucrum insigne fecit. Tam felices curationes peregerat, ut a remotissimis locis venirent, qui arcanum coëmerent, et nunquam hoc remedium spem fefellisse, inter omnes constitit. *Cl. BRVCH* narrat, venatorem comperta re arcanum undique promulgasse, sed *Perill. KAEMPFIVS* aliam historiam promulgationis huius remedii magis verisimilem refert: beatum nimirum patrem suum frequenter testem egregiarum virtutum huius remedii fuisse, et laeto animo observasse, arcanum, quod dedit ovium custos, semper et indubitate hunc morbum arcere, ut pro infallibili remedio contra morsum canis rabidi merito haberi posset. Omnem nunc operam beatum patrem detectioni huius arcani tribuisse, et ex sententia illam successisse, nam adiuvante praefecturae quaestore, arcani possessorem nummis aureis et generoso vino inductum esse ad celati haecenus remedii communicationem. Hic aperte atque ingenue profitebatur, se aegrotos unice herba anagallidis flore phoeniceo ab instanti hydrophobia liberare, omneque sic periculum a demorsis a cane furibundo propellere. Herbam istam ipso *St. Iohannis* die hora *II—12*, meridiana collectam in sacco, loco perflabili et umbroso asservari, ac tum externe, tum interne forma pulveris, et infusi theiformis adhiberi. Infuso nimirum vulnus elui, tuncque pulverem inspergi, hancque elotionem

onem et insperionem pluries repeti. Simul dedit noster ovium pastor interne quater in die dimidiam drachmam pulveris, qui cum infuso theiformi fumebatur, et usus pulveris per octo dies, sed minori dosi continuabatur. Addit *Perill.* KAEMPFIVS, beatum patrem eandem methodum sedulo adhibuisse, et mandati publici auctorem fuisse, vt anagallis quotannis tempore, quo floret, abunde colligeretur.

Non ita multo post (vid. KAEMPF. *l. c.*) canis pastoritius venenato morsu bubulcum et fere totum vaccarum gregem vulneravit, qui omnes anagallidis usu hydrophobia liberati sunt, quamvis bubulcus iam melancholicus evaderet, et potum averfari inchoaret. In ducatu bipontino vero (vid. BRUCH *l. c.*) bubulcus cum numerosa familia et magna armentorum grege a cane rabido vulnere adficiebatur. Cum *cl.* BRUCH pater arcesseretur, bubulcus iam hydrophobia correptus erat, cumque non vehementer furore arderet, omnem anagallidis usum respuit, et tandem miserima morte furibundus confectus est. Idem accidit nonnullis vaccis. Reliqui vero omnes, tum homines tum pecora, quibus morbus adhuc pepercerat, anagallidem assumebant, et admiranda eius virtute e mortis faucibus eripiebantur.

In grandaeva virgine octoginta annorum, a cane Melitaeo suo, qui rabie correptus erat, morfa, iam aquam horrente, instar canis latrante, et spumas ore agente, manifestum furoris decrementum inde contigit, quum illi pulvis anagallidis tempore remissionis accessionum propinaretur, ut omnino cibos et aquam sumere posset. Loco hydrophobiae autem accedebat febris hectica, cum lenioribus convulsionibus, quae luce illam privavit.

Undecim incolae civitatis Sobernheim in Palatinatu inferiori a cane rabido dentibus lacerati, omnes usu anagallidis restituti sunt. Similiter viginti incolae pagi Schellweiler in ducatu Bipontino, quum e templo redirent, a cane furibundo misere violabantur. Idem canis in pago Oberkirchen oves nonnullas momorderat, quarum duae nono post morsum die rabie corripiebantur, sed viginti illi homines, quibus tempestive anagallidis pulvis exhibebatur, ab omni tristi effectu et a hydrophobia liberati sunt.

Singulari experimento villici cuiusdam prope Bipontum degentis capra una a lupo rabido morfa, hoc pulvere servata est, altera vero pariter morfa, cui au-



tem confulto herbam non dederat, hydrophoba periit. Huc et pertinet testimonium, quod adducit *Cl. BRUCH*, magistratus Monasteriensis, de die secundo Decembris 1757. in Alsatia superiori de variis hominibus a lupo rabido fauciatis; sed hoc uno remedio servatis, quum alii, negligentes illud, misere interierint.

Sic igitur non unice ante rabiem oblatum iuvisse indicat *Cl. BRUCH*, sed ea iam sese manifestante, modo defuerit maior eius gradus, qui hydrophobia sese declarat.

§. 8.

Hi igitur hominibus vulneratis, vel alio modo infectis, pulveris herbae Drachnam dimidiam, ad scrupulos quatuor, vel in aqua anagallidis destillata, vel eius decocto, vel infuso Theae, vel aqua simplici, bis per diem exhibuerunt; unde in pluribus alvus soluta, in aliis sudor praeter consuetudinem foetidus erupit. Pecoribus, pro ratione magnitudinis, maius pondus herbae in lacte, iusculo, cum ovis, vel quolibet alio vehiculo datum. Miratur merito vir omni laude maior *Perill. MURRAY* in *Apparatu Medicaminum tam simplicium &c. Goett. 1779. Vol. II. p. 6.* quod in universum vulnerum nulla alia cura sit habita, quam quod, soterter antea aqua elota, quotidie semel pulvere eodem conspersa fuerint, et sueto dein modo consolidata: quum apertum diu fervare vulnus, et effluvium eius alere, inter primaria alias auxilia merito referatur, quin unicum hodie censeatur, ut eadem via, qua ingressum virus est, quam commodissime eliminetur. Detergendi eius, sive purgandi vulnera et ulcera potentiam iam quidem antiquitus notatam esse, sed hic non in simplici vulnere, sed venerato rem agi, bene adnotavit *Perill. MURRAY*. Et laetitia affecti sumus, quum in libro *Perill. KAEMPF* l. c. observavimus, hunc praeclarum medicum quoque iudicasse, egregiam, licet non necessariam esse hanc circumspeditionem, quae coniungat cum propinatione anagallidis externum usum hydrargyri et cucurbitularum, ideoque hos celeberrimos viros in iudicio suo de virtute horum remediorum convenire et congruere. Veneni tamen portionem lotionis auferri, aliam herba sicca inspersa imbibi et hac ipsa afluxum humorum proritari, reliquam vero per excretoria varia loca elici, *Cl. BRUCHIUS* sibi persuadet.

§. 9.

§. 9.

Observatis nunc his egregiis effectibus, et probatis tot tantisque exemplis anagallidis in hoc morbo eximiiis virtutibus, famosi remedii antilyssi famam nomenque consecuta est nostra planta, ut principum quorundam mandato anagallidem quotannis colligi, sufficientem quantitatem in quavis villa asservari, eamque praesto haberi pro casu necessitatis praeciperetur, subiuncta simul medellae norma. - Praecipue et summo studio id factum est in principatu Bambergensi die 28 Maii 1749. quod mandatum typis expressum legas, quaeso, in *Cl. BRUCH Diff. citat. App. n. 4. in HASENEST Medicinischer Richter, oder Acta physico medico forensia collegii medici Onoldini Onolzbach 1757. III. Th. p. 2. seqq.* Normam colligendi et adhibendi anagallidem sequentem hic reperimus: Colligatur a die Johannis novi styli, usque ad eundem diem veteris styli hora 11—12. matutina herba anagallidis phoeniceo flore, cum caule et floribus. Exsicceetur in umbra, sed in loco aperto et propatulo, et asservetur in fassis linteis, aut in scatulis charta obductis. Hominibus nunc a bestia furiosa vulneratis, aut illis qui frequenter cum rabidis hominibus aut animalibus conversati sunt, exhibeatur dimidia ad summum integra drachma pulveris herbae anagallidis, ita collectae, in aqua anagallidis, aut infuso foliorum theae. Abstineat aeger tunc per nonnullas horas ab omni cibo et potu. Quamvis unica saltem dosis haud dubie sufficiat, semperque morbum, omnino praesente jam furore, solummodo nondum vehementissimum gradum attingente, superare valeat: tamen securitatis causa iterum praeterlapsis sex, octo aut decem horis, vel quoque altero die, secunda aut tertia vice pulveris dosis assumi potest. Equis, vaccis, suibus, canibus, capris et ovibus pulveris drachma una aut altera cum pauculo salis et Aluminis, sive cum potu calido, immo solummodo cum aqua datur. Si vero rabida bestia per integrum vaccarum, ovium aut suum gregem saeviit, tunc remedium illud non solum fauciat, sed quoque reliquis animalibus, quae in vicinia canis rabidi fuerunt, aut cum demorsis in uno prato pascunt, propinari debet. Sic certissime efficitur, ut demorsi non moriantur, caeteri vero furore nequaquam corripiantur, ac eo modo omne periculum et damnum arceatur. Statim post
exsicca-



exsiccationem herba in pulverem redigi, et pulvis pro casibus talibus fortuitis sicco, sed non calido loco asservari debet.

Conveniunt cum his contentis caetera publica mandata, quae ad commendationem anagallidis in hydrophobia promulgata sunt, et quae tamen nonnullis verbis, tamen nequaquam re ipsa a Bambergensi differunt. Sic in ducatu Moguntino iam 1747. (vid. *Maynz. wöchentliche Anzeigen*) Bipontino 1746. (BRUCH *l. c.*) et dein quoque in Gothano et Bavariensi (*Schles. oeconom. Nachricht. 1773.*) similibus mandatis cives et subditi de insignibus virtutibus huius plantae certiores facti sunt. Reperio quidem apud *Perill. MURRAY l. c.* ducatum etiam Megapolitanum nominari, verum enim vero in errorem inductus est veritatem alias strenue amans vir, nam numquam in Patria mea tale edictum auctoritate publica sancitum est.

§. 10.

Tamen vero anagallis in patria mea singulari commendatione haudquaquam fuerit condecorata, tamen abundat terra Megapolitana non solum planta ista, quae in agris laete crescit, sed quoque exemplis virtutum et virium contra periculosissimam fauciationem, quas in hac sypho cum indulgentibus lectoribus communicabo.

Celeberrimus SCHREBER Sammlungen VIII. vir dum adhuc viveret, aequè solers ac doctus, qui multis in rebus patriae nostrae magno usui futurus erat, nisi plures malevoli contra eum fecissent coitionem, ovium custodi a proprio cane, qui furiosus redditus erat, periculoso vulnere adfecto, optatissimo cum effectu anagallidem exhibuit, licet non prius, quam quarta a morsus die, usum eius inchoare posset, quum deficiente pulvere huius antilyssi, herba primum loco calido siccaretur. Per nonnullos dies dedit omni mane drachmam unam pulveris, cum infuso theiformi eiusdem plantae.

Plures eximias virtutes huius herbae in famosissimo morbo videre contigit *Perill. A FLOTOW*, equiti Megapolitano, qui, quum saepius instantem hydrophobiam ope anagallidis profigasset, multaque exempla egregiarum curationum observasset, tandem ut specificum, et numquam fallens remedium, de cuius virtute

et

et propria, et aliorum experientia edoctus fuisset, herbam anagallidis in diariis publicis, quae Hamburgi in lucem eduntur, laudibus adfecit praeclarissimis, multosque, quibus adhuc haec admiranda virtus ignota erat, aut qui tantas vires tam pusillae plantae inesse dubitabant, reddidit attentos.

Nuperrimam observationem, quae omnem dubitationem eripere debet lectoribus, et quae, quantum valeat hoc remedium contra morsum canis rabidi, abunde firmat ac docet, mecum communicavit ea, qua solet, humanitate ingenuitateque *Illust. GRAUMANN*. Quum nimirum *Butzovii* me examini rigoroso subiicerem, tuncque doctissimo huic viro, qui eo tempore facultati medicae Butzovienfi praeerat, animum meum explicarem, me, in dissertatione inaugurali, de viribus anagallidis agere, mecum constituisse, laudavit ille non solum propositum, sed quoque addidit, se de hac vi antilyssa ita convictum esse, ut nullum aliud remedium umquam in hoc morbo adhiberet, si, quod Deus benigne averteret, a cane rabido morsus medelam parare deberet: ante dimidium circiter annum in vicino pago, cui nomen sit Venschow, canem furiosum totum vaccarum gregem venenato morso sauciasse; fuisse e numero earum complures vaccae, quae amici possessoris huius pagi fuerint; nonnullis diebus post, hanc vel illam vaccam in rabiem incidisse, et tunc hunc virum auxilium suum implorasse. Praescripsit *Vir Illustr.* drachmas duas pulveris anagallidis a bestia mane sumendas, et iussit, ut haec dosis per 6 dies omni mane repeteretur. Liberatae remanserunt omnes vaccae, quibus hoc remedium secundum praescriptionem datum erat, nec ulla sanitate et incolumitate privata est. Verum enim vero gregis istius dominum vel avaritia, vel diffidentia inductum esse, ut usum huius herbae, quem illi quoque suaferat, plane omitteret, et ecce omnes in luem inciderunt, omnes incredibilis furor invasit, et omnes miserrima morte oppressae sunt, adeo ut de toto grege non nisi illae bestiae, quae anagallidem sumserant, incolumes remanserint, sanitatemque et vitam conservaverint. Praeclarum sane exemplum, quod quemvis allicere et impellere debet, ut usum huius herbae numquam omittat, multo magis semper ad illud, ut ad sacram anchoram refugiat, si tale infortunium vel hominibus vel bestiis acciderit, nam hic usu huius herbae a hydrophobia liberatas mansisse vaccae, sole clarius est meridiano.



§. II.

Ab aliis quoque doctis viris et solertibus observatoribus similes egregiae virtutes observatae et annotatae sunt, quae nimia laude anagallidem adfici non posse, probant. Iterum hic nominandus venit *Perill*. KAEMPFIVS, qui in libro, iam saepius citato, nunquam tamen pro dignitate et utilitate satis praedicando, nonnulla exempla curationum describit, quas ipse ope nostrae herbae feliciter per egit, et quibus iterum demonstratur, tutissimum sane et maxime praefens remedium in morbis, a morfu canis rabidi ortis vel oriundis, esse anagallidis herbam. Cum Monasterii degeret, ubi hydrophobia quotannis multi miserrime trucidantur, a cane rabido infans, canis et vacca vulnerabantur. Parcam solummodo quantitatem herbae ad manus habebat, cuius plurimam partem tum externe tum interne in pulvere et infuso infanti exhibebat, reliquam herbae portionem cani autem deglutiendam dabat. Non solum infans, sed quoque canis a morbo liberabantur et servabantur, cum e contrario vacca, quae nullum medicamentum sumferat, in hydrophobiam incidit, illaque interemta est. Talia exempla multa et firmissima ad probandam vim antilyssam huius herbae praebent testimonia; si nimirum e nonnullis animalibus, ab eodem cane demorsis, illud, quod remedium assumit, sanum et integerrimum manet, quando contra illud, cuius saluti illo remedio non subvenerunt medici, in morbum incidit. Commemorat porro *Perill*. KAEMPFIVS, se flagitante senatu, postea civem quemdam usum anagallidis eiusque adhibendae normam docuisse, et hunc insequenti anno, cum multi cives aliique homines a furioso lupo fauciati fuissent, plures feliciter sanasse, sed omnes alios, quibus alia medicamina propinata erant, et qui anagallidem non sumferant, misere periisse.

Iterum narrat vir doctrina et meritis praeclarus, se multos cives et rusticos, quorum nonnulli periculose vulnerati fuerunt, ante nonnullos annos, secundum eandem methodum, applicatis tamen simul externe cucurbitulis et mercurialibus, optimo cum successu tractasse. Nonnullos boves, ab eodem cane demorsos, magnis dosibus pulveris anagallidis quoque a morbo isto liberatos esse, ita quidem, ut remedia externa nulla in usum vocarentur, unum autem bovem, cui avaritia impulsus dominus solummodo drachmam unam pulveris anagallidis pro dosi dederat,

derat, non quidem in furorem incidisse, sed convulsionibus necatum esse, ita ut apparuerit, hic quoque vim suam monstrasse anagallidem, quum hydrophobia saltem liberaverit animal, morbumque sic debilitaverit, cum dosis non tanta esset, quæ omnia symptomata, ataxiam nervorum et spasmodicas affectiones, et ipsam adeo mortem arceret. Medicus, qui assistebat, cum hic bos aperiretur et degluberetur, observavit, fibras musculosas post complures horas, quum perfecte iam refrigeratum esset animal, adhuc subsistisse et palpasse. Addit *Vir. Perill.* plures se adhuc et admodum multas curationes ope huius herbae feliciter finisse, et multos a hydrophobia liberasse, ita ut quoque libere fateri et sanctissime confirmare queat, se numquam adhuc spe sua excidisse, sed potius semper plures expertum esse virtutes antilyssas, quam quae a tam vulgari planta merito expectari possint; cum igitur exploratam habuerit hanc vim medicatricem, proprio scripto praeclaras proprietates huius remedii, infallibilem virtutem, nec non exhibendi methodum, publici iuris se fecisse, eandemque institutionem deinde nonnullis amicis post iterum (in *Hanauischen Magazin*) repetuisse.

§. 12.

Ne ulla, quae mihi innotuerunt, quaeque e scriptis doctissimorum virorum collegi, exempla felicium curationum morsus canis rabidi, nec testimonia fide dignissimorum auctorum de huius plantae virtute omittam aut negligam, sequentia adhuc in hac Spho colligere et congerere volo. In *diario erudito*, quod *Gothae* prodiit 1786. auctor qui *DE STOERCK praecepta medico practica* indicit et diiudicat, praeclaro testimonio anagallidis virtutem ornat; nam miramur, inquit, anagallidis solummodo una vice, nec nisi obiter, in hoc opere mentionem fieri, quum tamen secundum *KAEMPFII* aliorumque experientiam praefens sit remedium ad praecavendam et arcendam hydrophobiam. Nos quoque semper usum anagallidis cum mercurialibus coniunximus, et nondum hanc experti sumus adversam fortunam, ut rite adhibitis his remediis unus numerosorum aegrotorum, ab animali rabido fauciatorum, quibus medicinam paravimus, in hydrophobiam inciderit, quamobrem optandum nobis meritissimo videtur, ut internus usus anagallidis, et externus mercurii omnibus aliis



remediis sic dictis contra hunc morbum specificis praefertur, et haec probata remedia loco aliorum multorum absurdorum et superstitiosorum medicamentorum in hoc morbo adhibeantur.

In *Neue sichere kurze und leichte Art, Menschen, welche von der Wuth befallen sind, zu heilen. Aus dem Französischen übersetzt, Nürnberg 1758. in praefatione p. 7.* huius mirae virtutis mentionem fieri reperimus. *Cel. BAUMER in Unterricht, wie man einen Menschen, wie auch Thiere, so von einem tollen Hunde gebissen worden, auf eine vernünftige und leichte Art helfen soll. Erford. 1765. p. II.* merita laude anagallidem, et scriptum *Cl. BRUCH* de eius virtute profequitur, additque iam a veteribus anagallidem, rubro flore praeditam, contra maniam adhibitam esse, quibus indicare videtur, eo verisimilius esse, eam quoque in hydrophobia aliquid valere.

B. VOGELIUS quidem in *Materia Medica* anagallidem non meminisse videtur, a nonnullis autem fide dignissimis amicis, quibus fortuna favebat, ut ab huius egregii et doctissimi viri docentis ore pendere potuerint, comperi, illum semper in praelectionibus, in quibus compendium suum, cui titulus: *Historia Materiae Medicae* illustrabat, annotasse, hanc insigni virtute praeditam plantam solummodo errore in libro praetermissam esse, et expressis verbis, illam adhuc adscribi iussisse. Addidit insuper, inter omnia remedia contra hydrophobiam, quae commendata fuerint, se potissimum anagallidi confidere, et discipulis suis suavit, ut nunquam usum eius omitterent, si in tam tristi casu ad aegrotum demorsum adducerentur. Specificam hanc virtutem dixit porro ab antiquioribus medicis iam animadvertam, in multis nostro tempore a pluribus experientia cognitam esse, et se ipsum illi praeclarum testimonium denegare non posse, nam se nonnullis vicibus hominibus, a cane rabido violatis et sauciatis, hanc exhibuisse herbam quotidie ad semidrachmam, omnino ad quatuor scrupulos, vulnerique eloto eundem pulverem inspersum esse. Prosperum semper eventum fuisse, ut quoque ad credendum inductus sit, veri specifici in hoc morbo nomen anagallidem mereri, et nullum aliud remedium tam tuto et majori spe exhiberi posse. Unum e pluribus aliis exemplum inprimis notatu dignum, adeoque grave fuisse, ut quoque omnem dubitationem sibi eriperit. Hic enim non amplius de praecaven-

cavendo malo actum esse, sed morbi instantis signa iam apparuisse, et verae hydrophobiae primordia se distincte, proh dolor! monstrasse; nam aegrotum difficulter iam deglutiisse, et spasmos in corpore percipere coepisse, omnino iam aspectu aquae commotum esse: verum enim vero omnia haec symptomata ope huius plantae remota, sanitatem recuperatam, et aegrotum perfecte sanatum esse et restitutum. Egregie congruunt cum his a beato Viro vivo sermone traditis, quae in ipsius libro *Academicae Praelectiones de cognoscendis et curandis corporis humani affectibus*. Götting. 1772. p. 79. §. 112. legimus. Anagallis, ibidem inquit, nimirum abiecta planta ac fere insipida, et cui ob id fortassis paucissimi fidant, se mihi ita probavit, ut semel hominem demorsum, et iam primo morbi gradu correptum, a futura rabie liberaverim. Datur eius drachma dimidia bis in die per unam, duas, tres quatuorve hebdomades; nec inutile est, infusi eius patellas aliquot quotidie calide sorbere. Si maiora sint vulnera atque locus commodus, etiam decoctum illis applicari potest. Cum beatus VOGELIUS, Professor olim Göttingensis, non solum doctrina et eruditione abundaverit, sed etiam compertæ fidei medicus fuerit, qui arderet studio veri reperiendi, quamobrem quoque memoriam illius excipient omnes anni consequentes, testimonium eius magni momenti omnique attentione dignum est.

Non minus gloriose de anagallide alius auctor, simplicium medicamentorum vires exponens, verba facit. *Cel. Cartheuser in Mat. Medica II. p. 504.* huius herbae proprietates et medicatricem vim considerans dicit: pulverem anagallidis adversus hydrophobiam laudatæ, et quidem integrae plantae siccatæ singulis praeparatis reliquis palmam praeripere, et bis quotidie ad drachmam dimidiam in aqua sua destillata, aut proprio decocto aquoso assumi posse.

Narrationibus de virtute anagallidis contra hydrophobiae speciem, quae e morfu animalium rabidorum oritur, plurimam fidem etiam habet EHRHART in *Oekonomischer Pflanzenhistorie &c. X. Th. Ulm et Memmingen 1761. p. 10.* Et tandem ut finem imponamus, Illustrissimus COMES DE MATTUSCHKA in *Flora Silesiaca, oder Verzeichniß der in Schlesien wild wachsenden Pflanzen &c. I Th. Leipz. 1776. p. 147.* eximias anagallidis virtutes contra hydrophobiam, recentiorumque observata et experimenta non sine magno assensu exponit, multa de



ea sperat, ac publica mandata in eius commendationem promulgata, ut melius adhuc innotescat haec planta, et a pluribus medicis et rusticis in talibus casibus propinetur, iterum typis exprimi curavit.

§. 13.

Quae haecenus enarravimus, tam gravis sunt argumenti, tantamque probandi vim habent, ut vix existimare possis, superesse adhuc, qui huic plantae nullam habeant fidem, omniaque, quae de illa laudantur et commemorantur, ficta atque commentitia esse sibi persuadeant. In tam diversis regionibus, ab egregiis et praeclarissimis viris, in tot casibus, ita circumspecte et solerter, vires huius remedii diligenter exploratae examinataeque sunt, et undique virtus eius antilyssa firmissimis et sanctissimis testimoniis est communita. Agyrtae ope admirandae anagallidis efficaciae divitias collegerunt, famamque sibi conciliarunt non mediocrem. Veteres iam vim medicatricem huius herbae copiosis profecuti sunt verbis, ac recentiores potius illam laudem adhuc augere et amplificare, quam imminuere et obterere coacti sunt. Medici, quorum scientiam, sapientiam et sollicitudinem nemo aequus rerum arbiter in dubium vocare potest, non una vice, sed pluribus et repetitis virtutem hanc egregiam experti sunt. Casus, ubi anagallis vires suas contra morsum canis rabidi monstravit, non obscuri sunt, aut dubii incertique, sed potius extra omnem dubitationis aleam positi, cum usu eius homines et animalia a tristissimo morbo liberati sunt, quando e contrario ab eodem cane sauciati, quibus herba ista non fuerat exhibita, miserima morte perierunt, quibus exemplis apparuit, quae egregia virtus in hac herba lateat. Principes publico elogio, mandatis et commendatione illam condecorare, et laudibus illustrare, frequentibus et felicibus curationibus commoti sustinuerunt. Nihilominus adhuc nonnullorum aures veritati clausas esse reperimus. Sunt nimirum, qui in dubium venire omnes illas experientias credant, ac dicant, virtutem anagallidis contra morsum canis rabidi rem esse eiusmodi, de qua adhuc ambigatur, quum nos e contrario illam certissimam exploratissimamque esse, asserere non dubitemus. In eo imprimis nituntur, quod vires, quae anagallidi adscribuntur, tam ingentes ac mirae sint, ut omnem fidem excedant. Portenti simile esse, quod

de

de illa laudatur, unam dosim huius herbae hydrophobiam sanare, et tam periculosum et vehementem sanare morbum. Nimum de illa praedicari, ac hanc ob causam incredibile esse, cum facilius id credatur, quod simile vero videatur. Plantam, cuius odor saporque vix virtutem medicatricem monstrant, tamen tam exigua dosi, saepius omnino non repetita, dirissimum morbum praecavere et sanare, id neminem fingere sibi et imaginari, ac multo minus credere posse, aiunt. Verum enim vero, quam multa his argumentis opponere valemus, et quantum abest, ut his verbis famae herbae anagallidis apud cordatos quidquam detrahatur? Observationibus et experimentis solerter et prudenter institutis omnia cedere debent ratiocinia. Vires omnium venenorum obscurae sane sunt indolis, et quomodo ac quare operentur, cur corpus tam subito et tam graviter afficiant, cur huic ac haud quaquam alii animali noceant, nemo explicare aut perspicue ante oculos ponere potest. Quodsi venenorum actio recondita, et ab ipsa natura densis tenebris involuta est, quomodo antidotorum agendi vim et modum explicare possumus? Si unquam ad qualitates occultas in physicis confugere licet, certe hic excusationem talem admittas. In tot exemplis per omnia naturae regna videmus et observamus, venenorum subtilissimorum actionem et potentiam nullis ratiociniis attingi, et nec sensibus percipi, nec ingenii acie explorari posse. Quaeris, quomodo hoc non adeo vehemens et efficax remedium, tam exigua dosi, vehementissimum venenum enervare, eique omnem nocivam vim adimere possit? Dicis mihi quaeso, quomodo et quare una guttula spumae ac salivae, sanguini per vulnus impertitae, tam immania et vehementia symptomata excitare, ac in hominibus animalibusque producere valeat; et tunc quoque non difficile erit, antidoti operationem et agendi modum exponere atque explicare. Specificae agit anagallis, et specificorum remediorum virtutes admirari quidem, sed non enodare atque evolvere possumus. Terminum atque finem imponit nostrae sapientiae et ingenio divinum numen, et multa quotidie experimur, quae nulla haec aetas dilucide exposuit. Comperimus experientia, sachari frustulum sufficere, ut in vita conserventur, qui sagitta veneno tincta vulnerati sunt, cum si hoc antidotum non adhibeatur, illud virus, quod statim ac subito homines corripit, certissime illos interficiat. Oleum olivarum omnia periculosa symptomata, quae viperarum morsum



morsum comitari solent, remove, notum est omnibus. Iam vero nec sacha-
rum nec oleum tantas vires monstrant, aut praecipuam efficaciam prae se ferunt,
quum innocuae sint res, quibus quotidie utimur. Occultam tamen et praestanti-
ssimam possident proprietatem, qua specificè symptomatibus medentur, et mu-
tationibus morbosis consulunt ac provident, quae ab hoc veneni genere in corpore
humano efficiuntur. Sic quoque anagallis, alias forsitan debile saltem medicamen-
tum, egregiam vim antilyssam contra venenum, quod morsu canis rabidi corpori
impertitur, ac subito in venas concipitur, possidere et exercere poterit.

§. 14.

Minime multa vero sunt exempla, quae contrariam in partem docere vide-
antur, anagallidem nonnumquam spem etiam fallere, nec satis ad hydrophobiam
praecavendam valere, id quod facile apparebit, si nunc omnia, quae in oppro-
brium, contumeliam et imminutionem huius plantae dicta sunt, in hac Spho con-
gerimus. Conquestus iam est de anagallidis in hoc morbo inertia IOH. BAVHI-
NUS *Historie von etlichen wüthenden Wölfen um Mümpelgard* 1591. 8. Ana-
gallidi arvensi ad rabiem caninam parum tribuitur in LINNAEI *Amoenitatibus
academicis Edit. SCHREBERI Vol. 8. Erlangae 1785 Diss. 161.* CHRISTIANUS
PHILIPPUS HERWIGIUS in *Select. medicam. rational. etc. Jen. 1771. p. 25.* inquit:
Herbae anagallidis virtus adhuc dubia est in morsu canis rabidi et hydrophobia,
quidquid multi nostris adhuc diebus de ea contendant; contra magnum morbum
et, sibi relictum, certe exitiosum magna tantum et certa arripienda esse arma, nobis
persuademus. CL. TISSOT in *Anleitung für das Land-Volk, übersetzt von
Hirzel, Zürich 1767. p. 220.* annotat, a nonnullis annis quidem anagallidem,
flore phoeniceo, contra morsum canis rabidi mirifice laudatam esse, alii non illud
praestitisse, quod de ea sperassent multi: HALLER in *Historia stirpium Helvetiae
indigenarum Bernae 1768 p. 277.* quoque illi exiguam fidem habere videtur,
inquit enim: ego novi certa fide, *Vivisci* ab optimo viro ROULET adhibitam,
mortem aegrotae non impedivisse. In *Pharmacopoea Helvetica* autem, quae
Basil. 1741. cum praefatione eiusdem b. viri edita est, legimus: "Anagallidem
in primis morsui canis rabidi mederi aiunt, sed in nostris saltem regionibus in
„diris-

„dirissimo hoc morbo haecenus incassum adhibita fuit, neque ex inodora hac
 „omnisque fere saporis experte planta, tantae vires expectandae videntur.“
*Cl. PLENCK in materia Chirurgica, oder Lehre von den Wirkungen der in der
 Wundarzney gebräuchlichen Heilmittel 2. Auflage, Wien 1777. p. 224. cl.*
TISSOT testem inertiae adducit, et illi potius, quam aliis, qui hanc plantam me-
 ritis affecerunt laudibus, adslipulari videtur. Massiliis duo eiusdem inertiae exem-
 pla exstiterunt, quamvis alia contra atrox hocce malum laudata remedia iungeren-
 tur: *RAYMOND in Med. Observ. and Inqu. Vol. 5. App. p. 2. seq. Perill.* *MUR-*
RAY quoque in *Appar. Medicam. l. c.* sibi de hac virtute eximia dubium esse,
 ingenue fatetur.

Haec sunt, quae ad imminuendam laudem huius herbae auctores scripserunt.
 Iam etsi inficias ire non possumus, magnos ac praeclaros esse viros, qui de hac vi-
 anagallidis antilyssa valde dubitent; tamen hoc nobis dandum erit, plurima du-
 bia non inniti experientiae, sed potius diffidentiae. Ac hoc nemo etiam negare
 poterit, longe plura praeclara testimonia pro virtute illius militare, quam severa
 iudicia de gloria et fama huius plantae detrudere. Speramus insuper, quemvis in-
 tueri et percipere posse, nullam harum observationum, quae in opprobrium hu-
 ius remedii adducuntur et citantur, ea sedulitate et eo studio institutam esse, quod
 merito requiritur, si de infelici morbi exitu ad remedii imbecillitatem conclu-
 dere debemus. Ne una quidem illarum uberius exposita est, nec ita descripta ac
 delineata, ut lector ipse de morbo ac de remedii inertia, ac de omnibus circum-
 stantiis, quae simul observatae sunt, iudicium facere queat consideratum. Neque
 enim reperimus, quousque morbus iam increvisset, cum anagallidis usus inchoar-
 retur, nec quotus a morbo dies esset. Dosis medicamenti et forma, qua demor-
 sis a cane rabido exhibitum fuit, nullibi reperitur et determinatur. Et verbo ut
 dicam, omnia deficiunt, quae requiruntur, si virtutem remediorum recte diu-
 dicare cupimus, ut igitur his nequaquam debilitas et inertia herbae anagallidis
 demonstraretur.

§. 15.

Praeclara est virtus et vix credibilis, de qua haecenus diximus; plures vero
 praeterea alias possidet anagallis, quas nunc, ut appareat, quot quantisque viri-

D

bus



bus nostra planta instructa sit, et quam praesens in multis malis remedium vocari queat, recensere et enumerare nobiscum constituimus. Ne vero hoc specimen terminum excedat, brevitati studebimus, et aliquanto adstrictiori sermone utemur, quatenus cum accurata omnium rerum expositione convenire poterit.

Virtutis illius, quae cum ista, de qua haecenus, egimus, potissimum convenit, merito primum mentionem facimus. Antilyssa nimirum anagallidis virtus non solum apparet, si illis, qui ab animalibus rabidis et furiosis sauciantur, exhibetur, sed quoque omnibus venenatis moribus medelam praestare creditur. In primis contra morsum viperarum primum a DIOSCORIDE *l. c.* et PLINIO *l. c.* et deinceps ab omnibus laudata est, qui eius vires descripserunt, nam ob hanc virtutem primum inclaruisse videtur. Iubet hunc in finem eam cum vino bibere DIOSCORIDES, alii autem melius volunt, ut decoctum eius bibatur, eoque vulnus lavetur. Sed maiores adeo huius plantae vires esse, et cuicumque veneno illam resistere, alii praedicant. Sic alexpharmacum esse legimus apud DALE, GORTER et RAIUM, ac hanc ob causam ingreditur compositionem aquae epidemicae Londinensis.

§. 16.

Reperiuntur in Anagallide partes resinosae et gummosae, quam ob causam cum Gummi Resinis, tum quoad virtutes, tum quoad modum agendi, convenit; hincque fluidas partes resolvit, solidas autem stimulat. Resolvendi, aperiendi, subadstringendi, et irritandi potestatem igitur huic herbae merito adscribere debemus, et omnes recentiores auctores, qui vera a falsis, certa a fictis et commentitiis, verisimilia ab incredibilibus, rationi consentanea a superstitiosis et fabulosis distinguere ac discernere solent, in eo conveniunt, ut omnes virtutes anagallidis a resolvente eius vi originem ducant. Veteres e contrario, qui vires remediorum longe aliter diiudicare consueverunt, siccam eam esse, et nonnihil calidam asseruerunt, ut e. g. THIEMEN in *Haus, Feld, Arzeney, Koch-Kunst und Wunderbuch*, Nürnberg 1700. p. 1492; et SERVIUS in *Institutionum libris tribus Romae* 1638; et PET. NYLANDUS in *Neues Medicinisches Kräuterbuch etc.* Osnabrück 1678, qui dicit, anagallidem siccam et calidam esse, detergendi

gendi et leniter adstringendi vim habere; et PETR. ANDR. MATTHIOLI in *Kräu-
terbuch etc. durch IOACH. CAMERARIUM Frkf. ad Moen. 1586.* qui iisdem fere
utitur verbis; et SIMON PAULI in *quadripartito botanico etc. Argentor. 1667.*
p. 196. qui anagallidem partem caloris alicuius participare ait; ac auctor *hor-
tuli sanitatis*, qui herbam istam abstergere, purificare et nonnihil calefacere au-
notavit; et SAMUEL MÜLLER in *Vademecum botanicum etc. l. c.* ac auctor libelli,
qui inscribitur *Curiosus Botanicus l. c.* pluresque alii, qui anagallidem esse siccam
in primo vel secundo gradu, et calidam in secundo aut tertio, affirmant. GALE-
NOS iam dixit: anagallidem detergentis esse facultatis, et habere nonnihil caloris,
et quamdam trahendi vim. Definita nunc vera anagallidis virtute facile, quae ab
illa exspectari possunt, determinare valemus. Nam plurimae illi adscriptae vir-
tutes ad resolventem, subadstringentem et irritantem virtutem spectant, reliqua
autem, quae in laudem eius dicuntur, saepe ita a verisimili, et omnino a possi-
bili abhorrent, ut fidem illis derogare cogamur. *Cl. BOERHAVIUM de viribus
Medicamentorum* anagallidem ad remedia humectantia sive aquosa, viscosa, re-
ferre, non plane reticere possum.

§. 17.

Quum haec virtus eius resolvens egregia atque praeclara sit, magnamque
mutationem in corpore humano producere valeat, multa quoque mala ope eius
curari atque arceri possunt. Nam si sanguis tenuioresque humores stagnant, aut
nimis tenaces et coacti reperiuntur, tunc hoc resolvens, irritans et stimulans
remedium egregie his vitiis medetur. Praecipue igitur conducit in omnibus visce-
rum imi ventris obstructionibus, quae gravissimis et maxime diuturnis morbis an-
sam praebere solent, et quas famosissimum malum hypochondriacum cum omni-
bus symptomatibus, tristibus affectionibus, singularibus sensationibus, mirificis
vicissitudinibus, cum anxietate, dolore, et calamitate comitatur. Innumera sane
sunt mala, ac vix accurate definienda, quae ex hoc fonte oriuntur, nam novas
quotidie experiuntur morbosas ac dolorosas affectiones, quibus sanguis non libere
per abdominis viscera fluit, et quibus infarctus varii generis et admodum diversae
naturae vasa obstruxerunt ac obstiparunt. In talibus morbis igitur, quorum caus-



sa in imo ventre, eiusque viscerum obstructionibus quaerenda est, praecipuas semper monstravit vires Anagallis, omnibusque Medicis usitatissimum ac probatissimum fuit remedium. Attamen quae pro testimonio insignium eius virium, et in primis facultatis resolvendi et stimulandi in immortalis libro dixit B. KAEMPERIUS, cuius laudem nulla obscuratura est oblivio, famam et aestimationem huius plantae adeo amplificaverunt, ut remediis resolventibus praecipuis nunc adnumeretur. Hic praeclarus nimirum auctor valde invehitur in illos, qui adhuc de potestate eius insigni dubitare queant, atque hanc plantam in nonnullis casibus eo maiores monstrare vires, quo occultiores et abstrusiores sint, aperte declarat. In omnibus fere obstructionibus viscerum et infarctibus, anagallidem cum in clysteribus ita dictis visceralibus, tum in forma pulveris commendat, et se semper ab illius usu maximos observasse effectus, sancte et firmissime adseverat, sicque RUCHNERO adsentit, qui iam affirmaverat, in omnibus diuturnis desperatisque morbis, qui ab indurationibus et obstructionibus producuntur, non spernendum esse medicamentum, atque BOERHAVIO, qui contra affectus hypochondriacos vehementer illam laudaverat. Inservit ergo in vitii fluxus haemorrhoidalis, et ad menses revocandos, si ob nimis pituitosum et crassum sanguinem, ille fluxus suppressus est, simul quoque toti morborum agmini medetur, qui ex istis vitii proficiscuntur. HOFFMANNUS, narrat mulieres in Ducatu Westphalico decocto anagallidis magno cum fructu uti ad fluxum menstruum resuscitandum, et GEORGEY in *Abhandlung von der Materia Medica* 3. Th. hanc eius virtutem quoque expertus esse videtur. Ex eadem causa obstructioni fluxus haemorrhoidalis medetur anagallis.

§. 18.

Quum remedium resolvens et non mediocriter stimulans sit, plures evacuationes ciere valet, praecipue autem saponacea sua indole spissos humores solvit, sanguinemque fluidiorem reddit, simul autem virtutem stimulantem et vasa corporis humani irritantem exercent, sicque pro diversa corporum natura et variis propinandi methodis mox sudorem elicit, mox urinae fluxum auget. Has virtutes non solum in illis, quibus ob hydrophobiae metum anagallidem praescripserunt, experti

experti sunt *Cl. BRUCH* et *Perill.* *KAEMPFIIUS*, sed quoque *PLINIUS*, *BÜCHNER*, *ZORN*, *TABERNAEMONTANUS* et *TRAGUS* diureticam virtutem observarunt, atque in *Pharmacopoea Helvetica* haec illi tribuitur, sicuti *GEOFFROY* hanc plantam diureticis medicamentis adnumerat. Vir veritatem mirum in modum amans *Perill.* *KAEMPFIIUS* observavit, hanc diureticam vim adeo vehementem esse, ut infantes, quibus hydrophobiam praecavendi causa dimidiam drachmam pulveris dederat, noctu lectum lotio inquinaverint.

Quidquid etiam *Perill.* *MURRAY* dicat, qui omnino nostrae plantae non admodum favere, viresque illius non magni facere videtur, adeo ut quoque credat, medicos alias severiores, ingenii potius ludibrio, quam experientia ductos, complures virtutes anagallidi adscripsisse: tamen in omnibus hydropis speciebus salutare effectus eam producere, et nisi iam ingravescente et senescente malo, hunc morbum sanare posse, multi auctores nimirum *PLINIUS* et *DIOSCORIDES*, *BUCHNER*, *SCHROEDER*, *MATTHIOLI*, *MÜLLER* in *Vademecum botanicum*, pluresque alii affirmarunt. Ac quid mirum? quum anagallis obstructions viscerum, veluti frequentissimam hydropum causam, superet et urinam pellat, sicque collectis et in corpore stagnantibus aquis viam monstret.

Ad eandem virtutem resolventem et diureticam referri debet, quod de potentia anagallidis in vitiis renum, praecipue calculis praesentibus, ab auctoribus praedicatur. Nephriticis prodesse, iam habet *DIOSCORIDES*, et multi sunt, qui idem affirmant. Laudatur in obstructione renum a *MÜLLER* in *Vademecum botanicum*, ac in libro *Curiosus botanicus* etc., nec non in *hortulo sanitatis*. Calculum solvere et propellere, sicque renes liberare anagallidis herbam, testes sunt *ZORN bot. med. p. 63.* *TABERNAEMONTANUS*, *TRAGUS*, *FUCHSIUS*, *PETRUS NYLANDUS*, in *neues medicinisches Kräuterbuch* etc. *Osnabrück 1678.* et *SCHROEDER* in *Arzeneyschatz.* *MATTHIOLI* cum nonnullis aliis suadet decoctum anagallidis vinosum in hunc scopum adhibere. Si cogitatione has laudes complectimur, anagallidem in renum vitiis haud parum efficere posse, concedere coacti sumus, quando calculi mucosi sunt generis, aut quando sabulum et minuti calculi in renibus praesentes sunt. Sed etiam sudorem ciet anagallis et diaphoreticam monstravit virtutem, atque hanc ob causam remediis, quae pestem ipsam superare valent,



adscripta est. Praeclaras eam vires contra pestem monstrare, auctores et testes sunt TRAGUS, LONICERUS, TABERNAEMONTANUS, IOH. BAUHINUS, MATTHIOLI, SCHROEDER *libr. cit.* MÜLLER *libr. cit.* auctores librorum *Curieuse botanicus et hortuli sanitatis*, nec non GEOFFROY. Plurimi horum iubent, ut aegroti assumta exigua portione huius plantae, vino coctae, in lectum se recipiant, culcitra plumea se obtegant, sicque sudoris eruptionem promoveant. TH. BARTHOLINUS *de Medicina Danorum domestica Diss. X. Hafniae 1666. p. 164.* remediis, quae in pratis Danorum sylvisque pestilentiae adversantur, anagallidem adnumerat.

Quum sic materiam morbosam a centro ad peripheriam pellere valeat anagallis, ac nocivos humores vi sua solutos, per varias vias eliminare soleat; illis quoque fides non prorsus deneganda esse videtur, qui contra arthritidem nostram plantam laudarunt. AEGINETA, veterum medicorum, si HIPPOCRATEM non nomen, facile primus, iam laudibus illam decoravit, et remedio, quod ipse invenit et composuit, cuique nomen ab incerta voce Corallium dedit *Diacorallium*, addidit anagallidem. Postea autem non minus vires eius contra arthritidem praedicatione efferre consueverunt BIERLING, CAPIVACCIUS et MÜLLER *libr. cit.*

Alvum aliis laxam reddidit anagallis aut saltem alvum apertam servat, si credas HOFFMANNO in *annot. ad PETRI POTERII opera omnia p. 454.* PLINIUS iam dicit, cum aqua mulsa sumtam anagallidem purgare, et teste HARTMANNO succus eius alvum ciet, nec minus pulvis in Arthritide, et contra canis rabidi morbum maiori dosi datus, alvum liquavit. Tunc autem in homine ipso dispositio ad diarrhoeam praesens fuisse videtur, nam *cl. BRUCHIO* talem virtutem laxantem animadvertere numquam contigit.

Obstructiones viscerum solvere et infarctus superare anagallidem, iam supra pluribus diximus, ne autem aliquid transeamus, hanc virtutem nostram plantam praecipue in hepatis vitiis et obstructionibus exercere, annotare debemus, ac si quoquam in morbo, certissime in hoc, vires monstrat, admodum praeclaras, DIOSCORIDES et PLINIUS *L. XXVI. cap. 7.* asserunt, in hepatis vitiis anagallidem non mediocrem afferre utilitatem. TRAGUS et TABERNAEMONTANUS illam vasa hepatis obstructa aperire docent. PETRUS NYLANDUS in hoc morbo drachmam unam pulveris anagallidis cum vino exhibuit, et SCHROEDER *libr. cit.* FUCH-

SIUS,

SIUS, MATTHIOLI, MÜLLER *l. c.* pluresque alii auctores innominati similibus illam affecerunt laudibus. In icterum usum eius iam commendavit Cl. BUCHNER, sed quum nostris temporibus cum B. KAEMPFIIUS, tum vir singulari bonitate et eruditione praeditus, STOLL, quem praematura mors nobis, prohdolor! iam eripuit, hanc virtutem frequenter experti sunt, et suo admodum gravi testimonio confirmarunt, quis est, qui amplius de illa dubitet?

Inter antiscorbutica remedia a de MEZA in *armament.* enumeratam reperimus herbam anagallidis, et BOERHAVIUS, qui nuperioris Medicinae pater merito dicitur, in *libello de Mat. med. et remed. formulis Norimb.* 1747. p. 199. ad specifica antiscorbutica leniora anagallidem refert. Nostram plantam stagnantes humores solvere, nimis tenaces et spissos fluidiores reddere, motum illorum augere, noxias particulas variis modis eliminare, sicque scorbuticam crasin emendare posse, unusquisque facile crederet, vel si anagallis non a IOH. FR. HELVETIO in *diribitorio medico Amstel.* 1670. p. 33. illis remediis, quae sal acerbum vitriolatum, et austerum aluminosum corrigunt, adnumeraretur, nec p. 67. contra acre sulphureum urinosum laudaretur.

TH. BARTHOLINUS *l. c. Diff. 4ta. p. 136.* narrat, Danos scabiem, morbum illis familiarem, anagallide curare.

JOHANNEM RAIUM aquam anagallidis destillatam, aequali lactis vaccini portione commistam, et sachari sufficienti quantitate edulcatam, contra phthisin, tabem et purulenta sputa, instar saepius probati remedii praedicare, apud GEOFFROY lego. Dosis est sex unciarum, quae quotidie mane et vesperi sumuntur. Quum autem haec aqua inutilis et inefficax sit, praestat, mea sententia, decoctum, sive cum TREW succum expressum lacte mistum in usum vocare. Pulmonicam etiam vocat anagallidem DALE,

Contra infantum tormina nostram plantam inservire dicit GEOFFROY. In *Pharmacopoea Augustana renovata et aucta* occurrit Syrupus anagallidis, qui potissimum in hunc finem pueris praescribi solet. Oleum coctum, quod ex herba recente conquassata, et oleo olivarum paratur, (vid. *Pharmacopoea Wittenbergica*) in colica flatulenta infantum illitum abdomini, vel clysmate applicatum lauda-



laudant MUELLER *l. c.* et Curieuser botanicus, sed PERILL, MURRAY credit, non alio jure hoc fieri, quam quod oleum solum sibi vindicat.

Quando quis ileo laborat, hora matutina, ieiuno adhuc aegrotto aquam pro potu suadet GAEBELKHOVER *Arzneymbuch Th. I.* Cephalicis remediis adscribitur a GEOFFROY et in *Pharmacopoea Helvetica* nec non in *Pharmacopoea Augustana* renovata et aucta, ac a MYSICHTO quoque maximi aestimatur in affectibus cephalicis. WEDEL in *amoenitatibus materiae medicae Jenae 1684. Lib. I. Sect. III. cap. I. de Cephalicis pag. 123.* sequentia, genio prioris seculi accommodata verba, litteris consignavit: „Fixa cephalica dicimus, quae excessum humorum et spirituum temperant, niictum refraenant figuntque. Quatuor genera talium fixorum cephalicorum constituit, nempe fixa terrea, fixa acida, fixa nitrosa, fixa aquea, et his ultimo dictis adnumerat decoctum anagallidis.”

In Epilepsia probatam illam reperit ACHILL, GASSER *obs. med. 57.* laudatur contra hunc morbum in *Pharmacopoea Helvetica* et in *Wittenbergica* atque in *Curieuser botanicus*, nec minus praedicatur a MUELLER *l. c.* a BOERHAVIO et quidem in decocto, a BOECLERO *Cynof. Mat. Med. cont. Th. II. p. 366.* forma Essentiae et Extracti, et Boli ab ipso concinnati, a MAROLD autem in substantia ipsa. Nuperiorem quoque *Illustriff. COMES DE MATTUSCHKA* illius virtutis antiepilepticae mentionem facit. In epilepticis et convulsivis motibus magnam utilitatem afferre dicit GEOFFROY. Epilepsiam aliaque spasmodica symptomata, quae olim diaboli nefariae potestati adscribebantur, ope illius sanari, alii affirmant, hinc quoque ad fascinationes et incantationes inservire eam posse, nonnulli crediderunt; (vid. MYSICHTI *Thesaurus*) denique contra Epilepsiam illam laudat etiam GAEBELKHOVER *Arzneymbuch Th. I.* Jubet nimirum anagallidem Julio vel Augusto, illa ipsa hora, quando nova luna nascitur, collectam, serico involutam, per nonnullas hebdomades collo appensam portare, et imminente novo paroxysmo manibus immittere ac tenere, usque dum cessaret, tunc autem iterum collo appendere. Verum enim vero bene monet Perill, MURRAY, haec superstitiosa et fabulosa potius in igaominiam stirpis cedere. Quum vero inter omnes medicae artis peritos constet, epilepsiam non raro ab obstructione viscerum imi ventris aut ab inordinario fluxu mensium, vel a suppressis haemorrhoidibus

tribus oriri, nullo etiam modo negari potest, anagallidem interdum ad sanandos motus epilepticos et convulsivos non parum conferre posse, cum in huiuscemodi morbis egregios semper praestiterit effectus. Sic quoque in illa Epilepsiae specie, quae verminosa dicitur, praeclaros effectus monstrat interdum anagallis, quum vermes necet, et resolvente sua virtute pici similem mucum in intestinis praesentem, in quo vermes habitare et nidificare solent, illumque una cum his ingratis injucundisque hospitiibus e corpore eliminat.

In Pleuritide maligna medicamenta cum decocto herbae anagallidis sumere jubent ETTMUELLER et MICHAELIS. *Vid. Epitome praxeos medicae e MICHAELIS, ETTMUELLERI, et aliorum practicoorum scriptis etc. consarcinata p. 485.* In eodem libro herba anagallidis cum floribus quoque commendatur ad phrenitidem, sicque morbo opponitur, contra quem iam apud Veteres in usu fuit. PLINIUS *hist. nat. Lib. XXVI. cap. II.* ait: "Phreniticos somnus sanat, qui contingit Peucedano, ex aceto capiti infuso, anagallidum succo." ETTMÜLLER, VALENTIN KRÄUTERMANN, BIERLING et FR. HOFFMANN *opus de meth. mendi etc.* hanc plantam quoque antiphreniticis remediis adnumerant; sed GEOFROY tantam omnino anagallidi fidem habet, ut contra phrenitidem, quae febres acutas comitatur, illam commendet. Quis vero umquam in hoc morbo tale remedium adhiberet, quod semper noceret?

§. 19.

Supereft adhuc, ut de famosissima illa et famigeratissima virtute, qua famam et gloriam consecuta est non mediocrem anagallis, in hac Spho verba faciamus, omniaque, quae de illa potestate apud auctores occurrunt, colligamus et secundum ordinem exponamus. De viribus huius herbae contra maniam et melancholiam hic sermonem esse, quis est, qui ignoret? quum omnes fere auctores, qui anagallidem nominant, quoque illius praeclarae virtutis mentionem faciant. Forsitan olim iam cognita fuit haec virtus, et herba anagallidis melancholicis atque maniacis exhibita fuit, sed nuperioribus temporibus MICHAELIS (*Opera medico chirurgica etc. Norimberg. 1688.*) illam primum vehementer laudasse, aut memoriam eius oblivione obrutam resuscitasse, ac propriis experimentis hanc virtu-

E

tem



tem probasse videtur; quem deinde complures auctores secuti sunt, qui tum ipsi experti sunt praeclaram illam virtutem in morbis mentalibus, tum autem aliorum innixi auctoritate, eam gloria et praedicatione efferunt. Omnia testimonia pro virtute illa militancia, quae magna industria collegimus, primum solummodo enarrare et enumerare nobiscum constituimus; dein vero in fine, quid statuendum sit de illis praedicationibus, et quid revera sperandum sit de ista planta in dictis morbis, iudicabimus. Nam ex uno libro in alium, ex antiquis in recentiores, imprimis in libros de materia medica laudes illae transmanaverunt, et in pluribus, si non in omnibus, breviter, nec tam ample, ut rei pondus requirit, haec vis memoratur.

Paravit B. MICHAELIS *l. c.* ex anagallide et herba hyperici essentiam, illaque in hunc finem usus est. Succum nimirum anagallidis inspissatum infundebat cum essentia hyperici, et hoc remedium appellabatur ab auctore *Tinctura Hyperici*, quam arcanum esse in mania et melancholia et deliriis remedium dicit *p. 640*. Praescribit porro *p. 56* et *57*, cum aquam, tum essentiam anagallidis simplicem in morbis mentalibus, variasque formulas addit, et *p. 66*, non dubitat, iterum nostram plantam, eiusque praeparata contra maniam laude adficere. Decoctum et essentiam ex anagallide parata mille experimentis in maniaco et melancholico delirio sibi probata fuisse asserit, quem nominavimus, MICHAELIS, qui aliquando futoris filium, catenis alligatum, praemissis praemittendis, beneficio essentiae anagallidis compositae restituit. Denique DOLAEUS in *Encyclopaedia medica dogmatica Francof. ad Moen.* 1691. narrat, MICHAELEM pannos linteos, sanguine asinino, animali post aures detracto, imbutos, immisisse sufficienti quantitati aquae anagallidis et florum hyperici, donec aqua tingatur, et ex hoc parari potum pro aliquot dosibus, quo medicamine maniacum se curasse in Aula Altenburgensi sancte affirmat. Huic remedii exhibendi methodo favet quoque Cl. BOENNECKEN *biga casuum Werth.* 1744 qui loco aquae anagallidis pannos dictos decocto herbae immisit, sicque binos aegros sanatos describit. Alii autem, quibus de sanguine potissimum agi videtur in sanationis negotio, alia liquida substituunt. Vid. ETTMÜLLER *Oper. Th. 3.* Laudarunt dein multi auctores virtutes antimaniacas et antimelancholicas, quas in hac planta observarunt. Sic ROLFINGIUS (GUE-
MER)

MER) ordo et methodus medicinae specialis consultatoriae, continens consilia medica etc. Ienaë 1669. p. 142. Anagallidem phoeniceam, quae salus fatuorum dicitur, magna contra maniam polliceri asserit, ac secundum eundem auctorem in *Ep. m. cognosc. et cur. part. corp. aff. Lib. 1. Part. 1. cap. 18.* arcanum in tota planta latitat contra maniam. Inter convenientissima remedia in mania refert LANGIUS anagallidem: *Opera omnia Lips. 1704. cap. 19.* In HADRIANI MYSICHTI *thesaurus et armamentarium medico chymicum Francof. 1675.* occurrit p. 49. remedium, cui nomen est Tinctura hyperici, cuius praestantissimum autem ingrediens est anagallis, et quae in Melancholia, Mania, dementiis, nec non in imminuta et abolita phantasia et ratiocinatione etc. laudatur. HOFFMANN in *annotationibus et additamentis ad PETRI POTERII opera omnia practica et chymica Francof. ad Moen. 1698. p. 454* dicit: „Succus anagallidis floribus pureis per sal suum nitrosum absterfivum mirifice opitulatur maniacis et melancholicis.” HARTMANN *Praxis chymiatr. in operib. omnib. Ed. IOHREN p. 16.* decoctum anagallidis flore purpureo sine omni additamento maniacis per aliquot dies propinandum imperat; ac SIMON PAULI *quadripartitum botanicum etc. Argentor 1667. p. 196.* hoc singulare HARTMANNI experimentum adcitatur. WILLISIUS *de anima brutor. cap. 12. p. 294. Edit. Genev.* in mania pro specifico vendit decoctum anagallidis; et DOLAEVS in *Encyclopaedia dogmatica Francof. ad Moen. 1691.* WILLISIUM et MICHAEM testes eximiarum virtutum anagallidis nominat, insuper autem arcanum contra maniam ab amico sibi communicatum describit, nempe succum pullorum hirundinum ad unciam unam in aqua anagallidis bis et ter maniacis exhibendum. COHAUSEN *Europae arcana medica etc. Francof. et Lips. 1757. p. 380.* curationem maniaci describit feliciter peractam, atque facile observabis, illum omnibus hic laudatis medicamentis quasi pro vehiculo addere aquam anagallidis. ETTMÜLLERUS *Collegium pharmaceuticum in SCHROEDERUM in oper. omnib. Frcf. ad Moen. 1708. p. 386.* anagallidem vocari *Vernunftkraut* annotat, quod conducatur contra deliria maniacis et melancholicis. Dein HARTMANNI et MYSICHTI experientias adducit, illisque subscribit, ut quoque ingenue fateatur, certum esse, non dari meliora simplicia contra maniam, quam anagallidem flore phoeniceo et hypericum. De QUERCETANO autem dicit,



illum gloriari, quod multa decocto anagallidis praestiterit. Curam ita instituit. Praemittit vomitorium ex infuso antimonii, postea per aliquot dies utitur solo decocto anagallidis optimo cum successu. Idem *Cl. vir Ettmüllerus* alio loco, nempe in *Collegio practico doctrinali in operibus omnibus T. II. P. I. p. 882.* praecipuis laudibus illustrat anagallidem. Nam fatetur, vix melius remedium esse, quam anagallidem phoeniceo flore, et hinc esse addit, quod anagallis haec quibusdam dicatur *salus fatuorum*, germanis *Vernunftkraut*, quia contra maniam et maleficia tantopere sit commendata. Herba anagallidis quoque valde laudatur ad melancholiam et maniam in *Epitome prax. med. e MICHAELIS, ETTMUELLERI et aliorum practico scriptis consarcinata p. 486. et 488.* et a FORBIGERO: *Vernünftiger Medicus in der Physiologie, Pathologie und Prax. etc. Leipzig 1735. pag. 477.* qui anagallidem inter plura alia ingredientia nominat, quae ad parandum vinum medicinale contra melancholiam inserviant. GABELCHOVERUS *Cent. 6. Curat. 13. pag. 46.* virtutem eius ad omnia deliriorum genera, non solum maniaca et melancholica, sed vel ad illa, quae in febribus malignis et ardentibus esse consueverunt, extendit. JUNCKER *Conspectus medicinae theoretico-practicae tabulis 138. etc. Halae 1734. p. 934.* specificum in melancholia passim celebrari anagallidem puniceam dicit, atque *pag. 938.* QUERCETANUM maniacos plures foliis anagallidis decocto restituisse. SCHROEDER *Pharmacopoea medico chymica ed. cit. p. 824.* exhiberi usu interno ac externo maniacis anagallidem habet. In VALENTIN KRAEUTERMANN *praxi medica etc. Arnstadt et Leipzig 1734* variis locis anagallis occurrit, ut *p. 334. et 366. et 375.* formulam contra maniam hic idem praescribat, quam intrat anagallis. SCHAARSCHMIDT *Therapia generalis, oder Abhandlung von den üblichen Arzeneien, herausgegeben von Moehsen etc. zweyte Auflage. Berlin 1755. p. 166.* decoctum et essentiam anagallidis contra maniam et melancholiam in usum vocari narrat. In *Pharmacopoea Helvetica* et in *Pharmacopoea Wittenbergica*, vis singularis antimelancholica et antimaniaca illi adferibitur. In *Pharmacopoea Augustana renovata etc.* Syrupus ex anagallide commendatur maniacis. HELLWIG *Thesaurus pharmaceuticus etc. p. 25.* et LAURENTIUS HEISTER *compendium Med. practicae Amstelae-dami 1743. p. 308.* ut specificum contra maniam et deliria melancholica laudent

ana-

anagallidem. SCHULZIUS *theses de materia medica in usum auditorum editae a C. C. STRUMPFER Halae 1746*, celebrari anagallidem purpureo flore pro optimo infaniae remedio, si decoctum diligenter adhibeatur, dicit. MÜLLER *Vademecum botanicum, ac Curieuseſer botanicus, oder ſonderbares Kräuterbuch* aquam deſtillatam, conſervam et eſſentiam anagallidis in melancholia et mania magnam utilitatem afferre, aiunt. GMELIN *otia botanica p. 184* melancholiae antidotum laudatam eſſe a multis annis anagallidem in utraque cognita ſpecie annotavit. GOHL *compendium, oder Anleitung zur praxi clinica p. 665*, inter ſpecifica remedia contra maniam et melancholiam primum nominat anagallidem puniceam eiusque decoctum. MAROLD. *Pract. med. p. 93*, decoctum vinoſum praeſert, et anagallidem forma pulveris contra triſtitiā et inſolitum timorem in uſum vocatam eſſe commemorat. VALENTINI *Praxis medicinae infallibilis etc. Francoſ. ad Moenum 1711. p. 225, et 229*, aquam anagallidis ad maniam commendat, ULAU *observationes clinicae etc. Leipz. 1714. p. 257*, aſſerit, anagallidem puniceam in decocto exhibitam egregiam praeflare virtutem in deliriis chronicis et maniacis et p. 259, in melancholia inſuſum herbae anagallidis laudat. WEDELIUS (G. W.) *compendium praxeos clinicae exemplaris ſecundum ordinem caſuum TIMAEI A GULDENKLEE Ienae 1707. p. 10*, plures formulas communicat, quae ad maniam curandam in uſum vocari poſſint, et omnes fere has ingreditur anagallis vel in decocto, vel in aqua deſtillata, vel in eſſentia. In praelectionibus ſuis in hunc librum B. WEDELIUM in primis laude proſecutum eſſe praeparata ex herba anagallidis, et extractum anagallidis atque tincturam antimonii temper, cum aqua anagallidis praeparatam aliis praeparatis addidiſſe, lego in *Manuſcripto collegio*, quod olim diſcipulus ſummi viri calamo excepit. Allegantur quoque exempla illorum, qui abinde reſtituti fuerunt a BIERLINGIO *Theſaur. pract. pag. 286 et 1040*, ac in *ad. nat. Curioſ. Dec. III. ann. 7. et 8. obſ. 16. Diſpenſatorium Boruſſo-Brandenburgicum* praeparationem eſſentiae anagallidis nos docet et addit: “inſigne ſpecificum haec eſſentia praebere debet in affectibus melancholicis et maniacis, ad infringenda pertinaciora eiusmodi deliria.” HUNDERTMARK *gründliche Abhandlung einiger ſehr großer und biſhero mehrentheils unheilbar gehaltener Krankheiten Leipz. 1741. p. 125*, contra aeftuationem ab ictu ſolis, aut



vehementibus animi defectibus, aut multo vini potu, praeter nitrata et camphorata decoctum florum hyperici et anagallidis commendat. GEOFFROY *l. c.* habet, in mania ter de die succum aut decoctum ad quatuor uncias exhiberi. „In primis „specificè laudatur anagallis flore phoeniceo in mania et melancholia ac phrenitide, ut propterea etiam vocetur *Vernunftkraut*. Adhibetur autem tum eius „succus, tum decoctum, tum infusum, vel cum aqua vel cum vino, tum etiam „eius essentia:“ haec sunt verba BOECLERI in *Cynasura Mat. medicae*. HALLER huius nostrae plantae virtutis in *hist. stirp. helvet. l. c.* mentionem facit. DE MEZA *armamentarium medicum seu Materia medica Hafniae 1761. p. 41.* folia anagallidis antihypochondriacis et antimelancholicis adnumerat remediis, dicens, laudari saepius ab ill. D. D. DE BUCHWALD summis encomiis in mania. Praeclaras virtutes ab eius usu animadversas esse in mania et melancholia, commemorat ILLUSTRISS. COMES DE MATTUSCHKA *Flora silesiaca l. c.* Nuper etiam in *Diss. inaug. praestantissimam rationem illustrandi materiam medicam practicam sistente praes. JOH. TODE, respondente auctore JO. NIEISEN Haderslebensis Hafniae 1778. 8. p. 25.* anagallidem in mania et melancholia opem praestitisse commemoratur. Vir egregius, qui in anagallidem omnes laudes congerere nequaquam dubitat, B. KAEMPFIIUS testis quoque est in *libr. cit.* illam praeclaras virtutes contra melancholiam monstrasse.

Si nunc quidem multorum plausum tulit nostra planta, tamen non omnibus hisce narrationibus et testimoniis prorsus fides habenda esse videtur. Nam multae incredibiles sunt, et a verisimili abhorrent. Ob virtutem eximiam resolventem magnam utilitatem asserere potest in illa specie melancholiae, quae, ut BOERHAVIUS dicit, oriri solet, quando tenues et mobiles sanguinis particulae alias immobiles reliquerunt, et sanguis tunc niger et crassus redditur, terreisque particulis abundat, quam mixtionem atram bilem vocant. Si igitur melancholia et vehementior mentalium morborum gradus, mania, ab obstructionibus, aut fluxibus suppressis originem ducit, tunc merito spem in hac planta collocamus, et illa certe optatissimos effectus producet. Quum autem complures horum morborum sint causae, quae adeo sibi ipsi interdum contradicant, et in quibus longe alias corporis facultates laesas reperias, nemo prudentium medicorum sibi persuadere poterit,

terit, in hac unica planta vires latere, quae omnibus hisce tam diversis morbi speciebus approximatae sint. Sequitur ergo, non omnibus maniacis et melancholicis parari posse medicinam, si anagallidem propinamus, sed potens nihilominus atque praeclarum esse remedium in nonnullis huius morbi speciebus, et quidem praecipue in illa, quae ab obstructione, aut ab humore atrabilario oritur,

In phrenitide semper illam nocere; quis dubitare potest? Patet igitur quoque, non semper speratos praestare potuisse effectus anagallidem. Sic nimirum GARIDELUS *Hist. des plantes d'Aix* p. 32. in nosocomio maniacis destinato frustra sese numerosis experimentis eam praecipisse dolet; et nihil pariter levaminis ex decocto copiosius potu femina maniaci obtinuit. GUMPERZ *not. ad LOESECKE Arzneymittel. Ed. 3. p. 329*; ac CHRIST. PHILIP. HERWIGIUS *Select. medic. p. 25.* herbam anagallidis in decocti et pulveris forma contra maniam, ut praedicata fuerit, effectui non respondere dicit; nec minus LEWIS in *Materia medica* inquit, (*Germanicam cito translationem,*) "non patet, vel decoctum vel tincturam, vel succum expressum non condensatum, multo minus autem, aquam destillatam vires resolventes insigni gradu possidere; MICHAELIS igitur, et alios qui his praeparatis plures aegros phrenitide, melancholia et epilepsia sanarunt, sua observatione deceptos esse aus ipsius naturae medicatricis potentiam ad exhibitum remedium retulisse, admodum est verisimile."

Recentioribus non contigisse, tantas vires contra maniam observare, quas essentia anagallidis teste MICHAELIS exercuit, lego in *Neues verbessertes Dispensatorium aus dem Englischen übersetzt. Erster Theil. Hamb. 1768. pag. 241.* FR. HOFFMANN, qui in opere *de Methodo medendi iuxta seriem Wallaianam cum praefatione MICHAELIS Lips. 1668. p. 299. et 291.* ubi remedia antimaniaca specifica interna enumerat, decocti et aquae essentiae anagallidis mentionem facit: tamen in *Medicinae rationalis systematicae Parte IV. Francof. ad Moenum 1738. cap. VIII. § 22.* de horum fide nondum satis sibi constare profiteatur. In errore igitur illos versari, qui pro universali et specifico remedio contra melancholiam et maniam anagallidem venditant, iam his exemplis, quae vires eius interdum his morbis imbecilliores esse docent, probatur. Verum enim vero illos etiam modum excedere, qui vires anagallidis pro nihilo habent, illamque num-



numquam hos morbos superare posse asserunt, quisquis aequus rerum arbiter facile concedet. Optamus sane, ut docti famaue ac meritis praeclari medici, quibus occasio data est e. g. illi medici, qui nosocomii praesunt, in quibus melancholici, maniaci et mente capti custodiuntur, accuratius in hanc nostrae plantae virtutem inquirant, ac, quidquid re vera efficere valeat in his morbis, tentent, praecipue autem illas horum morborum species, in quibus salutare effectus producat, determinare studeant. Quoad exhibendi formam, nobis aequae ac Perillu-
stri MURRAY arridet merito ob simplicitatem maxime, QUERCETANI et ETTMÜL-
LERI consilium, qui, praemisso vomitorio e vitro antimonii, decocto solo aqua
facto usi fuerunt, quamvis non desint, qui hic quoque omnem effectum vomito-
torio adscribant. In substantia ipsa ac in succo recens expresso, nec non in ex-
tracti forma anagallidem propinare quoque non dubitarem. Sed aqua destillata
prorsus insipida et inefficax est, et essentiam numquam eligeremus, nec simpli-
cem spiritu vini factam, nec compositam cum essentia hyperici a MICHAELIS
impenius laudatam. De quibus SCHULZIUS *Praelectiones in Dispensatorium
regium et Electorale Boruffo-Brandenburgicum etc. Norimbergae 1752.* dicit:
utrum haec sola ullum hominem curauerit, equidem nescio. Decoctum autem
huius plantae idque copiose sumendum et continuandum a multis egregiis viris
insigniter commendatur, quod certe convenientius erit, quam essentia spirituosa,
nam ob particularum volatilium atque resinifarum in anagallide et hyperico de-
fectum, non praeter rationem essentiae praefertur decoctum.

§. 20.

Externe quoque adhibetur anagallis in variis morbofis affectionibus et tum
quoque singulari gloria floret, nam multi non spernendi testes se virtutes eius sa-
lutares saepius expertos esse, testimonio suo firmissimo corroborant.

GALENUS illi adscribit virtutem siccantem et purificantem. Vim habere
mitigandi et arcendi inflammationes dicit DIOSCORIDES *l. c.* Purificare et leniter ad-
stringere, cum saponacea et acris sit, ac tumores inflammatos lenire; subad-
stringentem esse permulti docti viri affirmarunt.

Ab

Ab omni igitur tempore ad remedia refertur, quae inferviunt ad vulnera et ulcera purificanda et sananda. HIPPOCRATES iam herbis vulnerariis illam adnumerat, et ad exsiccationem ulcerum laudat. GALENUS ait, desiccandi vim illam habere contra modificationem, quam ob rem vulnera glutinet, et putrida corrigit. Nomus cohibere, inquit DIOSCORIDES *L. M. c.* 209. Vulnerarium esse legitur in *Curieuse botanicus*, in *Pharmacopoea Helvetica* apud GEOFFROY *l. c.* DALE in *Pharmacopoea*, HELLWIG (*Lexicon pharmaceuticum Francof. et Lipsf.* 1700. p. 12.), BOECLER (*Cynosura mat. med.*), SCHROEDER in *Pharmacopoea medico chymica l. c.* SCHAARSCHMIDT *Therapia generalis etc.* SCHROEDER (*Arzenyschatz*), SIMON PAULI (*Quadripart. botan.*), MÜLLER (*Vademecum botanicum*), TRAGUM et apud PETRUM NYLANDUM. BARTHOLOMAEUS CARRICHTER von RECKINGEN *Kräuterbuch* p. 89. ut remedium vulnerarium Anagallidem valde laudat, et hic quidem p. 204. ex illa simul et pluribus aliis herbis aquam vulnerariam parare docet, quam efficacissimam appellat. FERNELIUS *universa Medicina* p. 447. ait: "Anagallis citra morsum siccans, tusa et admota recentibus vulneribus praesertim fenum efficaciter medetur," cui adsentit ETTMÜLLERUS *Collegium Pharmaceuticum* in SCHROEDERUM in *operibus omnibus Th. I. p. 386.* dicens: Vocatur anagallis Grundheil, quod sit singulare vulnerarium pro abiuentis vulneribus recentibus et ulceribus, nec non dolore in iisdem leniendo. — Ulcera maligna mirum in modum illa sanari, dicunt DIOSCORIDES, PLINIUS, GORTER, *Curieuse botanicus*, *Hortulus sanitatis* CASTORIS DURANTIS, MÜLLER, PETRUS NYLANDUS, MATTHIOLI, GEOFFROY. Decoctum anagallidis cum aqua fabrorum externe pro fotu ad dolorem et exulcerationem dedit PETRUS POTERIUS *opera omnia practica et chymica cum additamentis* FR. HOFFMANNI. *Francof. ad Moenum* 1698. p. 2. Idemque in *Pharmacopoea spagirica* p. 454. inquit: succum anagallidis floribus purpureis cum herba trita ulceribus malignis impositum mederi, ipsaque perfecte sanare. FERNELIUS quoque *l. c.* p. 444. anagallidis utriusque succum siccando et extergendo putrida ulcera sanare sperat.

Ad varios oculorum morbos quoque semper adhibita est nostra planta. DIOSCORIDES iam vult, emendare argema cum melle attico, et oculorum hebetudini opitulari, aequae ulceribus tunicarum oculi, praecipue tunicas corneas me-



deri, plures asserunt. Ob purificantem, resolventem et irritantem virtutem succus anagallidis maculas corneae sanat, et sic visus debilitatem emendat. *Vid. Curieuser botanicus.* Forſitan DIOSCORIDIS effato adductus est Celeberrimus olim Medicus oculus et illustris Professor anatomiae in academia Tubingensi, MAUCHART, ut illam aduersus ulcera et maculas corneae commendaret. *VID. EHRHART Oeconomische Pflanzehistorie X. T. p. II.* Cum melle oculorum caliginem discutere, et visum augere affirmant TRAGUS, MATTHIOLI, FERNELIUS, ARNOLDUS DE VILLA NOVA *Breviar. pract.* CASTOR. DUR. in *hortulo sanitatis*, SCHROEDER, MÜLLER. Sic quoque MARCELLUS illam ad caligantes oculos laudavit. Aquam destillatam externe contra lippitudinem oculorum adhiberi, dicit SCHAARSCHMIDT *Therapia generalis.* LAELIUS A FONTE EUGUBINI *Consultationes medicae etc. Francof. 1609. p. 187.* inquit: „medicamentum pro suffusione oculi est collyrium de anagallide, quae habet florem coeruleum, et vulgo morsus gallinae dicitur, quod eodem modo, quo collyrium de foeniculo, praeparatur; sed quoniam, si haec collyria sola administrarentur, nimis mordicarent, nos consuevimus illis uti cum aquis stillatitiis, ut pharpharae et euphrasiae” ac p. 369. legimus: „Quod spectat ad praesidia, quae oculos concernant, succus anagallidis non est in postremo loco collocandus, cum sine mordacitate tenuandi et detergendi facultate sit praeditus, sed multo efficacius prodesse solet aqua ex flore, quae saepius oculis stillanda est.“ Narratio de felici aquae huius in suffusione successu (secundum *Perill. MURRAY*) vix credibilis, quem multis procurasse Lutetiae femina memoratur JOH. BAUHINUS *Hist. Pl. Tom. 3. P. 2. p. 370.* nuper denno attentionem mereri visa est, quum e GMELIN *Reise durch Rußland Tom. 3. p. 349.* discamus, Perſas hodie adhuc contra incipientem cataractam equorum anagallide uti, quorum oculo collypium, succo eiusdem madefactum, extrinsecus applicant.

Dolores capitis anagallide mitigari vult MARCELLUS, atque a GEOFFROY et in *Pharmacopoea Helvetica* cephalicis adnumeratur remediis. In universum autem virtutem dolores mitigandi illi adscribunt inter veteres GALENUS, DIOSCORIDES, AEGINETA, et inter recentiores GEOFFROY, MÜLLER *libr. cit. Curieuser Botanicus*, CASTOR, DUR. in *hortulo sanitatis*, HELLWIG in *Thesauro pharmaceutico* p. 25. MATTHIOLI.

Ob

Ob virtutem hanc mitigantem quoque contra podagram laudata est praecipue a SIMON PAULI in *quadr. botan.* qui sequentia habet verba: „Vulgus decoquit anagallidem in urina et cataplasmatibus forma calide applicat pedibus, ubi podagricis doloribus infestantur; quod medicamentum nobilem quemdam britannum omnibus aliis medicamentis longe pretiosioribus adversus dictum malum praetulisse, vir moribus antiquis et prisca fide Dominus FRIDERICUS GÜNTHERUS mihi retulit, quo nobilis ille certe sibi dolores podagricos mitigari compererat.“

RAIUS similia commemorat, ac dein HELLWIG *thes. pharm. Curieuser botanicus*, SCHROEDER *pharm. med. chymic. p. 25.* MÜLLER *Vadem. botan.* BOECKLER *Cynof. mat. med.* eiusdem virtutis mentionem fecerunt. Quum vero contra podagricos dolores quoque pediluvia e sola urina summo cum fructu adhibeantur, dubium adhuc est, utrum virtus haec urinae, an anagallidi adscribenda sit. Interea ex anagallide et ex Corallis unguentum ad podagram parari quoque lego in IOH. HORN *cist. med. Ep. 251.* atque in SCHROEDER *Arzneyschatz p. 861.*

Ad remedia, quae pituitam et mucum resolvunt detrahuntque, anagallis quoque pertinet. DIOSCORIDES inquit: succum eius capitis pituitam gargarizatu evocare, et naribus infusum dentium dolorem lenire, si in narem adversum iniiciatur. PLINIUS, GALENUS, AEGINETA, SVIDAS, *Curieuser botanicus*, FERNELIUS, MATTHIOLI, SCHAARSCHMIDT *libr. cit.* succum anagallidis illis remediis adnumerant, quae mucum in naribus resolvunt, et sine sternutatione detrahunt. Pulvis et decoctum similem vim possidere dicuntur. PETRUS NYLANDUS ad dentium dolores, succum naribus attractum laudat. Eundem succum pro gargarismate ad liberandum caput commendat MÜLLER, ROLFINCIUS autem: *ordo et method. spec. consult. l. c. p. 259.* succum anagallidis cum succo maioranae et betae et Essent. flor. lilior. convallium loco errhinorum applicare suadet.

Vim aculeos et festucas e vulneribus et ex carne extrahendi, quam ob causam forsitan anagallis ab ἀνὰ γέν, id est, extrahere dicatur, quoque possidet. Illam adactos corpori aculeos extrahere dicit DIOSCORIDES, et GALENUS, TRAGUS, BOECLER, SCHROEDER, *Arzneyschatz*, *Curieuser botanicus*, FERNELIUS, *univers. med. Traiecti ad Rhenum 1656. p. 438.* SIMON PAULI, CASTOR. *DUR. hort.*



san. MÜLLER illi adfipulant; MATTHIOLI autem dicit, melius etiam attrahere, si resina pini addatur.

Contra inflammatas et dolentes haemorrhoides coecae herba lapidibus contusa et imposita commendatur in *hortulo sanitat.* CAST. DUR. et in MÜLLERI *Vadem. botan.* SCHULZIUS autem *theses de Materia medica in usum auditorum etc.* l. c. ait: „anagallis phoenicea perhibetur, quod haemorrhoidibus tumentibus applicata „fluentes faciat, fluentibus adhibita caerulea eas sistat, quod vero fabula est.“

Non maiorem fidem merentur, quae DIOSCORIDES et PLINIUS de anagallidis virtute dixerunt, impositam eam, quae coeruleum edit florem, prociduum sedem deprimere, quae vero phoeniceum, illam evocare, quamvis MATTHIOLI, TRAGUS, MÜLLER, et CAST. DUR. in *hortulo sanitatis* iisdem verbis DIOSCORIDIS effatum repetant.

Nec minus incerta atque controversa est illius virtus, quamvis haemorrhagiam sistendi, si manu teneatur, aut scrobiculo cordis imponatur. Videamus, quid de ista virtute ETTMÜLLERUS *Colleg. pharmaceuticum* in SCHROEDERUM l. c. dicat: „POTERIUS in *Pharmac. spagyrica*, SCHMÜCK in *curat. magico magnet.* p. 15. ceu expertissimum speciffimum commendant anagallidem flore phoeniceo „in quacumque haemorrhagia compescenda, sive appendatur scrobiculo cordis, sic „que mensium fluxum certe sistit, sive manu detineatur, ut incalcescat, et sic etiam „sanguinis ex vena secta fluxum compescere perhibent.“ *Vid. Agernum.* Haec verba BOECLER *Cynof. mat. med.* citat et addit, magnum sane postulatam, de quo tamen experientia consulenda. Eiusdem virtutis mentionem faciunt SCHROEDER *Arzneyschatz*, SENNERTUS l. I. *praef.* p. 3. MYLIUS *antidotarium medico chymicum reformatum etc.* *Francos.* 1620. p. 70. et MATTUSCHKA *Fl. Siles.* Manu detentam haemorrhagiam narium sedare habet MÜLLER *Vadem. bot.*

Admodum dubia quoque est virtus anagallidis, si contra infultus epilepticos corpori appenditur, quamvis a WECKERO hunc in finem laudata sit. Si quis scabie laborat, ut decoctum parat ex herba ista cum aqua et sale, quo frequenter manus lavet, praescribunt DODONAEUS et NYLANDUS. Ex anagallide paratum unguentum contra arthritidem annotarunt *Curieuser batanicus* et MÜLLER *Vadem. botanicum.*

Reme-

Remediis, quae cosmetica dicuntur, quoque anagallis adnumeratur. Nam ad conservandum cutis splendorem et pulchritudinem, testibus FUCHS et AGERIO, succus eius adhibitus est.

§. 21.

Pauca adhuc restant, quae de virtute herbae anagallidis, et de diversis eius usibus dicenda veniant, quae omnia in hanc §phum colligere atque congerere volumus.


In oeconomia, in primis in arte veterinaria, non caret suis virtutibus. Contra morbum vertiginosum, quem appellant germanice *das Drehen der Schaafe*, HÜCKEL, SCHREBER, et ELLIS inter alia remedia quoque laudant anagallidem, PLINIUS iam hanc plantam ad eundem scopum commendasse dicitur. LINNEUS quidem affirmat, oves anagallidem non comedere, sed SCHREBERUS germanicas oves illam amare vidit; et Cl. BRUCH quoque narrat, se ovium pastorem novisse, qui saepius per integri mensis tempus ovibus pulverem anagallidis cum sale mistum partim ut alimentum, partim ut medicamentum exhiberet.

Anagallidem quoque in cibum verti, ut lactucam comedi, et in Anglia passim loco Herbae Theae usurpari lego in *Neues, verbessertes Dispensatorium etc. aus dem Englischen übersetzt 1 Th.*

Aves femina eius amare dicit ILLUSTR. COMES DE MATTUSCHKA. Veteres crediderunt, omnia spectra arceri et propelli, si anagallis in atrio ianuae appendatur: FUCHSIUS item ac TRAGUS; et anagallidem ab omni infortanio liberam reddere domum dicit ZOROASTER.

§. 22.

Quae ab omni aevo huic plantae adscriptae sint virtutes, haecenus exposuimus; ne vero aliquid deesse videatur, et ut proprietates, vires atque partes constitutivae anagallidis melius adhuc cognoscantur, insuper cum chemicam analyfin, tum qualitates, quae in sensus incurrunt, attingere debemus. Herbam recentem inodoram esse, omnes uno quasi ore affirmant, sed de gustu eius adhuc disputatur. Plurimi oleraceum illi saporem adscribunt, sed saponaceum simul esse illum, dicit



PLENCK, subadstringentem *Pharmacopoea Helvetica*, nonnihil salinum et acerbum GEOFFROY, acerbum *Neues verbessertes Dispensatorium*. LEWIS *mater. med.* ait: sub manducatione eius solummodo oleraceum saporem percipi, sed succum expressum ad consistentiam extracti coctum, salinam, pungentem acrimoniam monstrare. Succum hunc inspissatum amarum et acrem esse, cum spiritu vini extractum potentiorum HALLER dicit *stirp.* HELVET. Gustatam oleraceum initio saporem prae se ferre, postea amarum cum acrimoniae sensu, asserit *Perill.* MURRAY. Infusum aquosum siccae plantae sive liquidum sit, sive in extracti formam spissatum, eundem saporem monstrare, quod modo amarius acriusque sit; nec differre hisce momentis, nisi gradu mitiori, tincturam vel extractum spiritu vini factum *Cl. BRUCH* in *Diff. de Anagall. et Cl. SCHROEDER* in *Diff. de Anagallide Halae 1760.* commemorant. *Perill.* KAEMPFIIUS illis contradicit; qui nullum aut debilem saporem anagallidi adscribunt. Pulverem enim bene siccatum sine omni additamento deglutitum, inflammationem et tumorem nasi et oculorum producere, nec non palati vehementem ardorem, observavit, ac eundem, sed debilem faucium ardorem vidit *Cl. BRUCH* ab eius usu.

Quoad saporem et quoad partes constitutivas anagallidem ad radicem Senecæ proxime accedere, modo mitiorem esse, nostroque climati magis convenire, et Senecæ radicis praecipuam vim in gummosis, anagallidis in resinosis partibus haerere annotavit *Cl. BRUCH*.

GEOFFROY et *Cl. BRUCH* ad examen chemicum eam revocarunt. Secundum illius experimenta quinque librae huius plantae destillatae dederunt libram unam et uncias quatuordecim aquae oleraceae, libram unam, uncias quatuordecim et tres drachmas liquoris acidi, atque residuum fuit librae unius, duarum unciam et drachmarum sex. Ex hoc per retortam elicita sunt unciae quatuor drachmae duae et grana triginta sex liquoris brunnei, cum valde acidi, tum manifesto alcalini urinosi, atque nonnulla grana salis fixi urinosi alcalini, nec non uncia una drachmae duae et grana triginta quatuor olei, quod consistentiam Syrupi habebat. Massa remanens in retorta, quam caput mortuum vocant, fuit unciam octo et drachmae unius, quae per quatuor horas calcinata reliquit uncias quatuor

quatuor et septem drachmas cineris subalbidi, e quo per elotionem paratae sunt duae drachmae, et grana 21. salis fixi. Succum anagallidis colorem chartae coeruleae in rubrum immutare, idem *Vir. Celeb.* annotavit, ex quo experimento conicere possumus, sal essentielle huius plantae cum terra foliata tartari convenire, et cum quadam portione salis ammoniacalis, et multo oleo mistum esse.

Cl. BRUCH autem sequentia reperit. Recentis plantae librae undecim contusae et prelo commissae succi brunnei libras quinque exhibuerunt. Per distillationem ex retorta primo obtinuit aquam sapore et odore destitutam, deinde liquorem acidum nonnihil empyreumaticum. Carbo in cineres redactus et elixatus sal alcalinum suppeditavit. Salis urinosi, quod *GEOFFROY* ex planta hac obtinuit, nullum vestigium noster invenit. Concludit tandem ex omnibus, quae instituit, experimentis, anagallidem constare ex aqua, partibus resinosis, gummeis terreisque. Tinctura igitur spirituosae maiores vires habet, quam aquosa, tamen haec quoque nequaquam viribus caret. Extractum vino paratum quoque potentius foret aquoso.

§. 23.

Singulari modo, et idoneo tempore colligendam esse hanc herbam, si vires ab illa praeclaras expectare velis, nonnulli auctores contenderunt, quae praecepta licet ridicula et superstiosa sint, tamen repetere hic et cum candido lectore communicare debemus. *PLINIUM* narrare dicunt: nonnullos iubere illis, qui hanc plantam ante solis ortum colligunt, ut antequam verba faciant, ter plantam saluent, tumque effossa illa statim succum exprimant, cum eo modo collecta vires monstret praecipuas. *GAEBELKOVER* vult anagallidem Julio vel Augusto illa ipsa hora, quando nova luna nascitur, colligi; et *MÜLLER*, *HOPFMANN* ac *Curieuser Botanicus*, eo tempore, quando sol et luna sub signo geminorum sunt, luna decedente, ante solis ortum.

GASSER e contrario suadet, illam cogere eo momento, quando sol in signum leonis venit, et luna incrementa capiente. *Vir Pirmasensis* eam, festo *Johannis die*, hora undecima matutina collegit, alii autem festum ascensionis Christi



Christi vel diem subsequenter commendant. In *Kräuterbuch Doctoris BAR-
THOLOMAEI CARRICHTER VON RECKINGEN, wayland Kayser MAXIMILIANI
des andern Leibmedici Strasburg 1589. p. 89.* reperimus institutionem ad colli-
gendam nostram plantam, quam cum vix translationem admittat, ipsis eius verbis
citamus: Zu den Kräutern der Wag des vierten Grades gehört auch rother
Hünerdarm. Aber in diesen Kräutern ist ein grosser Unterschied; darum musz
man sie unterschiedlichen colligiren, damit sie weychen, laxmachen, durch-
dringender Substanz werden, als wenn die Sonne und der Mond im Zwilling
seyn, des Morgens vor Tags oder gleich dem Tage ehe die Sonne aufgeht,
und so solches geschicht im lezten Viertel des Mondes, so weychen sie so viel
desto mehr. So aber in dem neuen Monat dasselbige geschähe, so wäre es
kräftiger im Geist, gleich als am Tage nach Auffart Christi oder auf den Tag
der Auffart Christi.

Maiorem attentionem, quam haec anilla praecepta, meretur *Perill*. MUR-
RAY admonitio: male in officinis herbam una cum floribus, quin capsulis serva-
tam cerni, quippe quum herbae in universum ante floris exortum efficaciores
existant. Floret autem Maio et hinc per totam aestatem, et nascitur anagallis
cultis et incultis locis, et saepe in hortis ac laeto solo.

§. 24.

In calce huius speciminis addamus insuper omnia nomina huius plantae,
indicemque figurarum melioris notae aeri incisarum, quae quidem habitum eius
ostendunt. Nam descriptioni uberiori botanicae superfedere possumus, quum
notissima sit haec planta, eiusque descriptionem in multo plurimis libris reperire
liceat. *Anagallidis herba* vocatur nostra planta in officinis, et sic quoque prae-
scribitur. *Anagallis arvensis foliis indivisis, caule procumbente* LINN. SPEC.
PL. P. 211. Vsu venit haec tantum Anagallidis varietas, quae flore phoeniceo est,
quam marem appellarunt veteres, omissis reliquis duabus, flore vel coeruleo,
(quae foemina dicebatur olim) vel albo. *Codex Parisensis* tamen et rubram et
coeruleam admittit. Ignaros pharmacopolas huic Alfineam mediam L. substituere
Perill MURRAY monet.

Icones

Icones huius plantae occurrunt *Flor. Dan. tab. 88. CURTIS Fl. Lond. Fasc. I. BLACKWELL t. 43. Hill. T. VIII. t. 40. videlicet quoque REGNAULT botan. et CAMERAR. Epit. p. 394.*

Graece vocatur *σαυγις* ob virtutem spicula corpori infixæ attrahendi, ut notavit MARANDA VENUSINUS *L. I. Method. cognosc. simpl. Cap V. pag. 29. σαυγοτης* enim cuspidis pars dicitur.

ἀναγαλλίς dicitur ab *ἀναγεῖν*, id est, extrahere, eo quod spicula e vulneribus extrahere valeat. Appellatur quoque *ἀευρίτις, ἀιγίτις, αἶμα ὀφθαλμῶ.*

Corallium quoque a multis ob colorem sui floris dictum est teste AMATOLUSITANO in *Dioscoridem enarrationes Argentor. 1554 Enarratio 175. p. 291.* qui ait: „inde fieri, ut PAULUS AEGINETA libro septimo suae medicinae-tamquam „antidotum articulari morbo conveniens describat, cuius titulus ab anagallide sumendus erat, ille potius a Corallio, id est, anagallide, flores rubros, corallio „similes habente illum desumpsit, et *diacorallium* appellavit, cuius inadvertentia „AVICENNA atque omnes eius affectæ aberravere, credentes a corallio potius antidotum denominationem sumpsisse, quam ab herba, corallium dicta, ut *Ferrarienses* primo magna vigilantia indicarunt.“

Nonnulli quoque credunt, hanc plantam esse *corchorum* THEOPHRASTI, sed fere omnes recentiores botanici sub *corchoro* intendunt *Melopiam* ALPINI. Sic quoque MATTHIOLI ait: plane meo quidem iudicio hallucinantur, qui anagallidem eam esse plantam putant, quae in *Hetruria* vernaculo nomine *Centone* vocatur, Insubribus vero *Pavarina*, nam haec florem fert candidum. Nec minus dubium esse videtur, num omnia nomina, quae *Mentzelius* in Indice nominum plantarum universali illi attribuit, re vera ad illam referenda sint. Dicit enim *Chelidonium* vocari *Magis, Macia Romanis, Mastypos Hetruscis, Sapana Gallis, Cerceraphron Dacis, Halicacabon, Zeliaurus, Ζελιαυρος κατεργίτης Magis: Mecii, Micii Aegyptiis, Meciato, Aneciato Roncanis, Asirrisoe Aphris h. e. Afris. Germanice* appellatur ob virtutem contra melancholiam *Gauchheil, Gauchblumen, Gochheil, Geckenheil (Salus stultorum s. fatuorum)*



rum) *Narrenheil*, *Vernunftkraut*, *Verstandkraut*; contra maniam *Wuttkraut*; ob vires vulnerarias *Grundheil*, *Heilkraut*, *Heil aller Welt*; ob habitum, qui ad alfinem accedit, *rother Meier*, *rothe Meu* oder *Miere*, *rother Himerdarm*, *Hanentritt*, *rother Mausdarm*; quia ab avibus avidè appetitur, *Vogelkraut*, *Zeisigkraut*, et quia per totam aestatem usque ad scti *Collmari* festum floret, *Colmarkraut*.

Gallice: Mouron, Morgelline.

Hispanice: Muruges.

Italice: Anagallo, morso-di gallina, Anagallide.

Anglice: Pimpinell.

Belgice: Guychelheil.

Danice: Rodarve, Gaascheel, Grine vel dag, grine vel middag.


Bohemice: Kurimor.


Polnice: Muszestrac.

Hungarice: Tiktará.

T A N T V M.







Icones huius plantae occurrunt *Flor. Dan. tab. 88. CURTIS Fl. Lond. Fasc. I. Hill. T. VIII. t. 40.* videlicet quoque REGNAULT *botan. et* 394.

tur *σαυριτις* ob virtutem spicula corpori infixi attrahendi, ut VENUSINUS *L. I. Method. cognosc. simpl. Cap V. pag. 29.* pidis pars dicitur.

licitur ab *ἀναγειν*, id est, extrahere, eo quod spicula e vulne- eat. Appellatur quoque *ἀευριτις*, *ἀργιτις*, *αἶμα ὀφθαλμῶ.*

uoque a multis ob colorem sui floris dictum est teste AMATO *scoridem enarrationes Argentor. 1554 Enarratio 175. p. 291.*, ut PAULUS AEGINETA *libro septimo suae medicinae-tamquam* lari morbo conveniens describat, cuius titulus ab anagallide fu- potius a Corallio, id est, anagallide, flores rubros, corallio lum desumpsit, et *diacorallium* appellavit, cuius inadvertentia omnes eius affectae aberravere, credentes a corallio potius an- nationem sumpsisse, quam ab herba, corallium dicta, ut *Fer-* magna vigilantia indicarunt.

oque credunt, hanc plantam esse *corchorum* THEOPHRASTI, sed lores botanici sub *corchoro* intendunt *Melopiam* ALPINI. Sic LI ait: plane meo quidem iudicio hallucinantur, qui anagalli- tam putant, quae in *Hetruria* vernaculo nomine *Centone* voca- ro *Pavarina*, nam haec florem fert candidum. Nec minus du- , num omnia nomina, quae *Mentzelius* in Indice nominum ali illi attribuit, re vera ad illam referenda sint. Dicit enim ri *Magis*, *Macia Romanis*, *Masttypos Hetruscis*, *Sapana hron Dacis*, *Halicacabon*, *Zeliaurus*, *Ζελιαυρος κωτεριτης*, *Micii Aegyptiis*, *Meciato*, *Aneciato Roncanis*, *Afirrisoe ris*. Germanice appellatur ob virtutem contra melancholiam *chblumen*, *Gochheil*, *Geckenheil* (*Salus stultorum s. fatuo-* rum)

G

